NATALEM SEXAGESIMUM

AUGUSTISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

GUILIELMI II.

ELECTORIS ET LANDGRAVII HASSIAE, MAGNI DUCIS FULDAE,
PRINCIPIS HERSFELDIAE ETC.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XXVIII JULII MDCCCXXXVI

ORATIONE

IN AUDITORIO MAJORI HABENDA
CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M. PHILOLOGIAE P. P. O. ET SEMINAR. PHILOL. DIRECTOR, BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

Inest disputatio de vestigiis institutorum veterum, imprimis Atticorum, per Platonis de Legibus libros indagandis.

MARBURGI,
TYPIS ELWERTI ACADEMICIS. MDCCCXXXVI.

Ante hoc triennium commilitonibus philologiae studiosis, qui in Augustissimi Electoris natalibus de praemio eruditionis decertare vellent, hoc argumentum proposueram, ut Platonis de Legibus libros cum iis, quae de veteris Graeciae quum reliquae tum imprimis Athenarum legibus atque institutis nota essent, compararent ita, ut primum quidem librorum illorum indoles atque consilium clarius appareret, deinde vero etiam experiremur, ecquid inde lucis in ipsas Graecorum res publicas redundaret, imprimis in jus Atticum a Solone conditum, quod Plato in nonnullis certe non minus secutus esse videretur, quam Cicero in simili opere leges duodecim tabularum ante oculos habuisset. At nemo inventus est, qui in ea quaestione solvenda operam suam ostentaret, sive quia nimis impeditam et viribus suis majorem existimabant, sive quia aliquid inde, quod tantorum solemnium majestate dignum esset, effici posse desperabant; quapropter meum esse duxi, qui eam proposuissem, ipsum quasi judicium meum tueri et periculo facto neque arduam nimis neque jejunam et sterilem fuisse demonstrare, simulque debitum Augustissimi Principis natali munus dependere, ne aut temere olim promissum aut turpiter nunc desertum et

neglectum esse videretur. Illud tantum mihi sumsi, ut ordine disputandi inverso de universi operis consilio et proposito Platonis in Legum libris condendis, de quo accuratius mihi propediem alio loco agendum erit, pauca praemitterem, in altera autem argumenti parte ita versarer, ut Platonis legibus certorum veteris Graeciae institutorum comparatione illustratis simul etiam appareret inter ea, quae aliunde non novimus, quid Platonem ad legum patriarum exemplar effinxisse verisimile sit quantumque inde ad harum ipsarum explicationem aliorumque testium supplementum lucrari liceat.

I.

Jam antiquitus quaesitum est [1], quid esset quod Plato, postquam in praeclaro et vere divino opere, quod a Civitate nomen habet, perfectae rei publicae formam atque imaginem omnibus ingenii coloribus expinxisset, iterum quasi secundis curis Legum libros condidisset, qui si idem cum prioribus continerent, supervacanei esse viderentur, sin aliud, inconstantiae et levitatis ipsum arguerent; eaque res etiam nostra aetate adeo mira nonnullis visa est, ut Leges a Platone abjudicare mallent, quam idem argumentum pro temporum et

1) Stob. Floril. XIII, 37, p. 326 Gaisford.: *Διογένης ἤρετο Πλάτωνα, εἰ νόμους γράφει, ὁ δὲ ἔφη: τί δαί, πολιτείαν ἔγραψας; πάνυ μὲν οὖν: τί οὖν, ἡ πολιτεία νόμους οὐκ εἶχεν; εἶχεν: τί οὖν ἔδει σε πάλιν νόμους γράφειν;*

consilii diversitate diversis modis tractari a summo philosopho potuisse paterentur [2]. Nobis tamen, qui Platonem suis ipsius praeceptis obtemperantem non semper in luce aetherea coelestisque sapientiae fastigiis haesisse, verum interdum etiam ad mortalium tenebras illustrandas solvendosque miseros vinctos rediisse [3] credimus, fraudi hoc esse nequit, neque est cur post doctissimas Thierschii [4], Socheri [5], Diltheji [6] disputationes intempestivam illam dubitationem amplius explodamus, praesertim quum peculiari horum librorum indole intellecta simul etiam Platonem neque actum egisse neque sibi ipsum contradixisse appareat. Tantum enim abest ut in libris de Civitate jam leges Plato tulerit, ut et illam rem publicam et quaecunque viros bonos et sapientes praesentes rectores habeat, legibus scriptis omnino carere posse contendat [7]; has enim praeceptorum instar esse, quae medicus absens aegroto reliquerit; quae quamvis prudenter et considerate ad futurum rei eventum excogitata sint, fieri tamen posse

2) Agmen eorum ducit Astius, qui quod jam in comm. ad Phaedrum p. 244 significaverat, fusius persecutus est in Platon's Leben und Schriften p. 379 — 392; paucos tamen secum in errorem traxit, quorum in numero miror etiam Ackermannum esse in libro optimae frugis pleno das Christliche im Plato p. 22.

3) Cf. Republ. VII, p. 519 C—521 B.

4) In Annal. Vindobon. 1818, Vol. III, p. 63—70.

5) Ueber Platon's Schriften p. 434—449.

6) In comm. praemio ornata, quae inscribitur Platonicorum librorum de legibus examen, quo, quonam jure Platoni vindicari possint, adpareat; Gottingae 1820. 4.

7) Republ. IV. p. 425.

ut accidant quae ille nec praevidere nec cavere potuerit[8]; longe utique praestare, si vel medicus vel rei publicae gubernator coram semper assideat, eademque prudentia, qua in legibus quoque ferendis opus sit, singula quaeque praesens ipse constituat et decernat. Sive enim legibus semel latis perpetuo constare velint, summum jus interdum in summam injuriam converti posse; sive eas pro temporum atque eventuum rationibus subinde mutent, humana arbitria, quo nihil perniciosius cogitari possit, in ipsa rei publicae fundamenta grassari: optimum igitur statum eum fore, si universa civitatis forma justo temperamento descripta, summum regimen penes sapientes sit[9]; sapientiam enim quasi vivam legem aeternam humanis legibus circumscribi non oportere[10]. Quippe aliud est rem publicam constituere,

8) Politic. p. 294 B: ὅτι νόμος οὐκ ἄν ποτε δύναιτο τό τε ἄριστον καὶ τὸ δικαιότατον ἀκριβῶς ἅμα πᾶσι περιλαβὼν τὸ βέλτιστον ἐπιτάττειν· αἱ γὰρ ἀνομοιότητες τῶν τε ἀνθρώπων καὶ τῶν πράξεων καὶ τὸ μηδέποτε μηδὲν ὡς ἔπος εἰπεῖν ἡσυχίαν ἄγειν τῶν ἀνθρωπίνων οὐδὲν ἐῶσιν ἁπλοῦν ἐν οὐδενὶ περὶ ἁπάντων καὶ ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον ἀποφαίνεσθαι τέχνην οὐδ' ἡντιναοῦν: cf. Aristot. Politic. III. 10. 4: δοκοῦσι δὴ τοῖς νομίζουσι συμφέρειν βασιλεύεσθαι τὸ καθόλου μόνον οἱ νόμοι λέγειν, ἀλλ' οὐ πρὸς τὰ προςπίπτοντα ἐπιτάττειν, ὥςτ' ἐν ὁποιαοῦν τέχνῃ τὸ κατὰ γράμματα ἄρχειν ἠλίθιον: et Themist. orat. I, pag. 14 D: αἴτιον δὲ ὅτι νόμος οὐκ ἄν ποτε δύναιτο συστῆναι λεπτουργεῖν πρὸς τὰ ἀδικήματα ἐπιχειρῶν· αἱ γὰρ ἀνομοιότητες τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων οὐδεμίαν ἐκφυγγάνουσαι διαφορὰν εἰς ἀπέραντον ἐξάγουσι τὸν σφίσιν ἀκολουθεῖν ἐπιχειροῦντα: neque alienus est locus Livii II. 3.

9) Notissimus locus in Republ. V, p. 473 D, quem qui respexerint, vide apud Ruhnkenium ad Rutil. Lupum p. 22 et Boissonadium ad Syntipam p. 173.

10) Legg. IX, p. 875 D: ἐπιστήμης γὰρ οὔτε νόμος οὔτε τάξις οὐδεμία κρείττων οὐδὲ θέμις ἐστὶ νοῦν οὐδενὸς ὑπήκοον οὐδὲ δοῦλον ἀλλὰ πάντων ἄρχοντα εἶναι, ἐάνπερ ἀληθινὸς ἐλεύθερός τε ὄντως ᾖ κατὰ φύσιν: cf. Appulejus de habit. doctr. et nativ. Platonis l. II, p. 198 Bip. et Schlosseri universalhistor. Uebersicht d. Gesch. d. alten Welt P. I, T. 3, p. 289. Eadem sen-

aliud leges scribere [11]; illa ad universos pertinet, qui quum ipsi sibi satis consulere nequeant, externis finibus adstringendi sunt; hae magistratuum causa feruntur, ne potestate sua per lubidinem et licentiam abutantur [12], quae quoniam in sapiente nulla est, perfecta civitas legibus non indiget, multumque et a Platonis sententia et a diligenti sermonis Graeci observatione aberret, qui jam Rei publicae idem quod Legum libris propositum fuisse existimet. Neque ita statuendum est, aliam hic aliam illic perfectae rei publicae imaginem oculis ipsius obversatam esse; siquidem eadem quae illic suaserat instituta in Legibus quoque summis laudibus extollit [13] neque quidquam magis in votis esse significat, quam ut deorum virtute et temporum beneficio summa in civitate potestas et perfecta sapientia in uno eodemque homine conveniant [14]; quod tamen quum prodigii instar futurum sit nec nisi miraculo aliquo, ut nos loqueremur, evenire possit [15], donec eveniat, eam civitatis formam commendat, quae

---

tentia est Xenophontis in Cyropaedia VIII. 1. 22: *τὸν δὲ ἀγαθὸν ἄρχοντα βλέποντα νόμον ἀνθρώποις ἐνόμιζεν, ὅτι καὶ τάττειν ἱκανός ἐστι καὶ ὁρᾷν τὸν ἀτακτοῦντα καὶ κολάζειν.*

11) Aristot. Pol. IV, 1. 5: *πολιτεία μὲν γάρ ἐστι τάξις ταῖς πόλεσιν ἡ περὶ τὰς ἀρχάς, τίνα τρόπον νενέμηνται καὶ τί τὸ κύριον τῆς πολιτείας καὶ τί τὸ τέλος ἑκάστοις τῆς κοινωνίας ἐστί· νόμοι δὲ κεχωρισμένοι τῶν δηλούντων τὴν πολιτείαν καθ' οὓς δεῖ τοὺς ἄρχοντας ἄρχειν καὶ φυλάττειν τοὺς παραβαίνοντας αὐτούς.*

12) Stob. Floril. XLIII. 89, p. 121: *Σόλων πῶς ἄριστα αἱ πόλεις οἰκοῖντο ἐρωτηθεὶς εἶπεν· ἐὰν μὲν οἱ πολῖται τοῖς ἄρχουσι πείθωνται, οἱ δὲ ἄρχοντες τοῖς νόμοις:* cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 54, n. 3.

13) Legg. V, p. 739 B; VII, p. 807 B.

14) Ibid. IV, p. 712 A.

15) Ibid. IX, p. 875.

quamvis longo intervallo proxime ad illam accedere videatur. Neque enim eam exemplaris naturam esse Plato monet[16], ut nisi totum exprimi imitando possit, omnes effingendi conatus prorsus abjiciendi sint; id quod nec ipse summus mundi opifex deus fecit, quum materiam quamvis inertem et contumacem formis aeternis assimulare vellet, nec legislatorem deceat cives quantum possit beatissimos reddere cupientem continuo, ubi optimum rei publicae statum effici non posse intellexerit, suis illos cupiditatibus et fortunae ludibrio permittere! Stoicorum hoc doctrinam referret, quos notum est nihil medii inter sapientem et stultum reliquisse nec digitum exseri ab imperito sine peccato posse existimasse[17]; non Platonis, qui idem quod sapientiam etiam rectam opinionem in actionibus humanis assequi censebat[18] virtutemque civilem etiam citra doctrinam institutione puerili et diuturno usu in civitate recte constituta comparari posse statuebat[19]; quod quanti momenti sit in praeceptis ipsius de re publica recte intelligendis, ipsi Civitatis libri ostendunt, ubi quos instituit milites sive custodes rei publicae, optimi profecto viri in quibusque ipsum quasi robur civitatis positum sit, sapientia tamen, qua sola virtutis humanae perfectio et absolutio nititur, carent, ita ut quae in ipsis virtus cernatur consuetudine

16) Ibid. V, p. 746 C; cf. Morgenstern de Plat. Republ. comm. III, p. 283 sqq.

17) Cf. Pers. Sat. V, 119 et Lipsii Manud. ad philos. Stoic. III. 20.

18) Meno p. 97 B: Phileb. p. 11 B; Legg. I, p. 632 C; II, p. 653 A.

19) Republ. X, p. 619 C; Phaed. p. 82 B.

tantum atque exercitatione iis contigerit [20]. Atque haec eadem causa est ejus civitatis, quam in libris de Legibus Plato informavit; quae nulla re magis a perfecta re publica differt, quam quod philosophorum soboles, qua hanc regi diximus, in illa desideratur; militum autem ordinem, qualem in libris de Civitate inveniamus, quod et ipsum Astius [21] frustra quaeri in Legibus arguit, adeo falsum est, ut universa potius civitas, opificiis ad inquilinorum peregrinorumque locum relegatis, militari illi classi respondeat, neque quidquam rectius existimari de Legum libris possit, quam eosdem homines, quos in Republica optimo et disciplinae et exercitationis temperamento philosophorum imperio idoneos institui videamus, nunc pro philosophis legibus quasi mutis dominis regendos tradi [22]. Eadem educationis forma severo musicae et gymnasticae delectu mixta; eadem conviviorum communium ratio; eadem abstinentia et immunitas ab omni turpi quaestu opificiorumque et mercaturae sordibus; eadem mulierum in magistratibus gerendis belloque administrando participatio [23]; quae quod

20) Republ. IV, p. 430, quo de loco vid. quae nuper disserui in Actis Societ. Gr. T. I. p. 6 sqq.

21) Platon's L. u. Schr. p. 386.

22) Cf. de Geer (praeside van Heusde) diatribe in politices Platonicae principia (Traj. ad Rh. 1810. 8) p. 171—175 et Stallbaum de argum. et cons. libr. de Re publ. p. XLVIII. Omnino vetus verbum est, regem esse legem vivam, legem regem mutum; cf. Archytas ap. Stob. Floril. XLIII. 132, p. 166 Gaisford.

23) Aristot. Politic. II, 3. 2: *τῶν δὲ Νόμων τὸ πλεῖστον μέρος νόμοι τυγχάνουσιν ὄντες, ὀλίγα δὲ περὶ τῆς πολιτείας εἴρηκε, καὶ ταύτην βουλόμενος κοινοτέραν ποιεῖν ταῖς πόλεσι κατὰ μικρὸν περιάγει πάλιν πρὸς τὴν ἑτέραν πολιτείαν· ἔξω γὰρ τῆς τῶν γυναικῶν κοινωνίας καὶ τῆς κτήσεως τὰ*

non simul ut in Reipublicae libris una cum liberis et universa re familiari aequalibus omnibus communes esse jubentur, neque horum librorum auctoritatem neque constantiam Platonis in suspicionem adducere potest, ut qui consulto monuerit, hanc se veniam pariter ut ipsa legum adminicula imbecillitati humanae tribuere [24]. Legibus autem ejusmodi civitati quam maxime opus esse ex iisdem illis, quae supra ex Politico attulimus, sequitur; quae quum praesenti sapientis regimine, quale tunc statuebamus, careat, nihil antiquius habere potest, quam ut optimam rei publicae administrandae rationem, qualem ex sapientiae praeceptis conjectura assequi valeat, literis saltem quam accuratissime perscribat [25] atque ita sanciat, ut quantum fieri possit minimum arbitrio sive privato sive magistratuum relinquatur [26]. Quamvis enim recte et diligenter hi homines ad virtutem instituantur, prudenter tamen Plato animadvertit neminem mortalem natum, nisi ad ipsum sapientiae fastigium pervenerit vel divino instinctu dirigatur, adeo omni cupiditate atque appetentia liberum fore, ut potestatem

---

ἀλλὰ ταὐτὰ ἀποδίδωσιν ἀμφοτέραις ταῖς πολιτείαις· καὶ γὰρ παιδείαν τὴν αὐτὴν καὶ τὸ τῶν ἔργων τῶν ἀναγκαίων ἀπεχομένους ζῆν καὶ περὶ συσσιτίων ὡσαύτως. Cf. de Geer p. 183 sqq.

24) Politic. p. 301 E: νῦν δέ γε ὁπότε οὐκ ἔστι γιγνόμενος, ὡς δή φαμεν, ἐν ταῖς πόλεσι βασιλεὺς οἷος ἐν σμήνεσιν ἐμφύεται, τότε σῶμα εὐθὺς καὶ τὴν ψυχὴν διαφέρων εἷς, δεῖ δὴ συνελθόντας συγγράμματα γράφειν ὡς ἔοικε, μεταθέοντας τὰ τῆς ἀληθεστάτης πολιτείας ἴχνη: cf. de Legg. IV, p. 713 E.

25) Politic. p 300 C: διὰ ταῦτα δὴ τοῖς περὶ ὁτουοῦν νόμους καὶ ξυγγράμματα τιθεμένοις δεύτερος πλοῦς τὸ παρὰ ταῦτα μήτε ἕνα μήτε πλῆθος μηδὲν μηδέποτε ἐᾷν δρᾶν μηδοτιοῦν: cf. Aristot. Rhetor. I, 1. 7: μάλιστα μὲν οὖν προσήκει τοὺς ὀρθῶς κειμένους νόμους ὅσα ἐνδέχεται πάντα διορίζειν αὐτοὺς καὶ ὅτι ἐλάχιστα ἐπὶ τοῖς κρίνουσι καταλείπειν.

legibus solutam nactus non sibi potius quam communi rei prospiciat[26]. Neque illud, opinor, exprobrari Platoni poterit, quod magistratuum alium in Legibus atque in Civitate ordinem numerumque fecerit; quippe illic sapientes habebat, qui vivae legis instar omnia pariter ipsi coram regerent ad eamque rem quasi nati atque ipsa progenie commendati esse viderentur [27]; nunc autem septem imperii genera proposita erant [28], quorum unum aliquod prae ceteris amplecti in pari omnium jure et conditione anceps et lubricum videri poterat: unde factum est, ut aliis alia tribueret eosque pro singulorum munerum natura aut aetate aut censu aut prudentia aut denique sorte eligeret, unum illud spectans, ut legum obsequio reliquis antecellerent et praeirent[29]. Lege enim, quam quasi philosophorum in locum substituit et suffecit, omnia regi jubet; magistratus non dominos tanquam sapientes, sed ministros legis esse, quoque aegrius philosophiae praesentia careant, eo diligentius quasi imaginem ejus legem sequi debere;

---

26) Legg. IX, p. 875: *γνῶναι μὲν γὰρ πρῶτον χαλεπὸν ὅτι πολιτικῇ καὶ ἀληθεῖ τέχνῃ οὐ τὸ ἴδιον ἀλλὰ τὸ κοινὸν ἀνάγκη μέλειν . . . δεύτερον δὲ ἐὰν ἄρα καὶ τὸ γνῶναί τις ὅτι ταῦτα οὕτω πέφυκε λάβῃ ἱκανῶς ἐν τέχνῃ, μετὰ δὲ τοῦτο ἀνυπεύθυνός τε καὶ αὐτοκράτωρ ἄρξῃ πόλεως, οὐκ ἄν ποτε δύναιτο ἐμμεῖναι τούτῳ τῷ δόγματι . . . ἀλλ' ἐπὶ πλεονεξίαν καὶ ἰδιοπραγίαν ἡ θνητὴ φύσις αὐτὸν ὁρμήσει ἀεὶ κ. τ. λ.* cf. et V, p. 731 E.

27) Republ. III, p. 415; VII, p. 520.

28) Legg. III, p. 690.

29) Ibid. IV, p. 715 C: *ὡς ἡμεῖς τῇ σῇ πόλει ἀρχὰς οὔθ' ὅτι πλούσιός τις ἐστὶ δώσομεν, οὔθ' ὅτι τῶν τοιούτων ἄλλο οὐδὲν κεκτημένος, ἰσχὺν δὲ ἢ μέγεθος ἤ τι γένος· ὃς δ' ἂν τοῖς τεθεῖσι νόμοις εὐπειθέστατός τ' ᾖ καὶ νικᾷ ταύτην τὴν νίκην ἐν τῇ πόλει, τούτῳ φαμὲν καὶ τὴν τῶν θεῶν ὑπηρεσίαν δοτέον κ. τ. λ.*

quae ubi auctoritate destituatur hominumque cupiditatibus serviat, perniciem civitati in mundo esse; sin magistratus legibus obtemperent, salutem et omnia bona divinitus exspectari posse spondet [30].

II.

Hoc igitur consilio, ut paucis comprehendam, Legum libros Plato condidit, ut aequalibus ostenderet, quomodo etiam deficiente, quo optima civitatis forma nitatur, praesenti sapientum regimine tamen proxime ad illius felicitatem accedere liceat; qua in re tantum abest ut parum sibi constiterit, ut consilii sui naturam etiam clarius atque apertius ostenderit. Quippe jam in Reipublicae libris non illud tantum agit, quod prae se fert, ut perfectae civitatis tanquam hominis exemplo doctrinam morum et justitiae notitiam illustret, sed etiam rerum publicarum regendarum imaginem proponit tantumque abest ut popularium suorum rationes et commoda vanis somniis posthabuerit, ut quum aliorum Graecorum tum imprimis Lacedae-

---

30) **Ibidem**: *τοὺς δ' ἄρχοντας λεγομένους νῦν ὑπηρέτας τοῖς νόμοις ἐκάλεσα οὔτι καινοτομίας ὀνομάτων ἕνεκα, ἀλλ' ἡγοῦμαι παντὸς μᾶλλον παρὰ τοῦτο σωτηρίαν τε πόλει καὶ τοὐναντίον· ἐν ᾗ μὲν γὰρ ἂν ἀρχόμενος ᾖ καὶ ἄκυρος νόμος, φθορὰν ὁρῶ τῇ τοιαύτῃ ἑτοίμην οὖσαν· ἐν ᾗ δ' ἂν δεσπότης τῶν ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τοῦ νόμου, σωτηρίαν καὶ πάνθ' ὅσα θεοὶ πόλεσιν ἔδοσαν ἀγαθὰ γιγνόμενα καθορῶ*: **cf. Aristot. Politic. III, 11. 3**: *τὸν ἄρα νόμον ἄρχειν αἱρετώτερον μᾶλλον ἢ τῶν πολιτῶν ἕνα τινά· κἂν εὖ τινας ἄρχειν βέλτιον, τούτους καταστατέον νομοφύλακας καὶ ὑπηρέτας τοῖς νόμοις· ἀναγκαῖον γὰρ εἶναί τινας ἀρχάς, ἀλλ' οὐχ ἕνα τοῦτον εἶναί φασι δίκαιον, ὁμοίων γ' ὄντων πάντων.*

moniorum res et instituta semper respiciat atque ita tantum ab his discedat, ubi aliquid iis ad bene beateque vivendum deesse existimet [31]. Quanquam ejus generis haud pauca esse facile concedo; multo pauciora in Legibus esse consentaneum est, ubi quo propius ad humanam imbecillitatem descendit, eo pressius etiam Graeciae mores atque instituta sequitur, neque quidquam ineptius cogitari potest, quam quod Astius ei exprobravit, leges, quas ex ipsa populi indole prodire ejusque conditionem internam referre oporteat, extrinsecus obtrudi et fundamento historico carere [32]; nobis certe nihil

31) Cf. Morgenstern de Plat. Republ. comm. III, p. 305—314 et censuram edit. Stallbaum. in Ephemerid. scholast. 1831, p. 647 sqq.

32) Platon's L. u. Schr. p. 385.

33) Vetus opinio erat Platonem in Legibus Cyropaediam impugnasse; cf. Athen. IX, 112 et Gell. N. A. XIV, 3: *eo facto scriptoque ejus usque adeo permotum esse Platonem ferunt, ut quodam in libro mentione Cyri regis habita, retractandi levandique ejus operis gratia virum quidem Cyrum gnavum et strenuum fuisse dixerit,* παιδείας δ'οὐκ ὀρθῶς ἧφθαι τοπαράπαν (Legg. III, p. 694 C). Obloquitur huic opinioni Boeckhius in comm. de simultate, quae Xenoph. c. Platone intercessisse fertur, p. 28 sq., et recte quidem, quatenus illi homines Platonem de ea institutione qua Cyrus usus esset loqui existimabant, non de ea qua filios suos educasset; quam Xenophon omnino non tangit; veruntamen hac ipsa in re aliquam Xenophontis reprehensionem contineri arbitramur, qui quum in Cyro justi effigiem imperii sibi cernere visus esset, non attenderit, quam parum ille diuturnitati optimi illius status, quo Persarum rem publicam condidisset, consuluerit. Nulla igitur re meliorem eum judicat quam Solonem, qui quum et ipse Atheniensium res egregio temperamento ordinasset, tamen ab effrenata libertate popularibus suis cavere non magis potuerat, quam Cyrus importunam unius dominationem a Persis prohibuerat; neque alio consilio se vel Atheniensium vel Persarum rem publicam commemorasse ait, nisi ut servitutis extremae imagine extremae licentiae opposita, medium inter utramque genus commendaret, quod nec libertate nec ratione et sapientia careret; cf. III, p. 701 D, E.

magis admirandum in ipso hoc Legum opere videtur, quam prudentia Platonis, qua disciplinae suae praecepta cum rerum publicarum formis patriis adeo conjunxit, ut fere nihil eorum quae suadet temere arreptum vel ex ingenio procusum, sed plerumque unius alicujus gentis usu atque experimentis confirmatum esset. Ac ne illud quidem sibi indulsit, quod Xenophontem in Cyropaedia commisisse videmus[33], ut, modo optima quaeque sequeretur, Graecos mores passim cum barbaris misceret; unde si quid asciscit — raro enim facit — veruntamen si quid asciscit, sedulo monet[34], neque in Legibus solum sed etiam in Civitate identidem Graecis se hominibus scribere significat[35]; quamvis enim multa in popularibus suis desideraret, tamen nullam aeque gentem quasi divinitus omnibus rebus ad virtutem necessariis instructam existimasse neque unquam originis suae memoriam deposuisse videtur[36]. Quid quod ipsa illa rei publicae constituendae fundamenta,

---

34) **Legg. II, p. 656 D:** *νῦν δέ γε αὐτὸ ὡς ἔπος εἰπεῖν ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἔξεστι δρᾶν πλὴν κατ' Αἴγυπτον . . πάλαι γὰρ δήποτε, ὡς ἔοικεν, ἐγνώσθη παρ' αὐτοῖς οὗτος ὁ λόγος, ὃν τανῦν λέγομεν ἡμεῖς:* **cf. VII, p. 799 A:** *ἔχει οὖν τις ἡμῶν ἐπὶ τὰ τοιαῦτα βελτίω τινὰ τέχνην τῆς τῶν Αἰγυπτίων . . τοῦ καθιερῶσαι πᾶσαν μὲν ὄρχησιν, πάντα δὲ μέλη κ. τ. λ.* **et p. 819 A:** *τοσάδε τοίνυν ἑκάστων χρὴ φάναι μανθάνειν δεῖν τοὺς ἐλευθέρους ὅσα καὶ πάμπολυς ἐν Αἰγύπτῳ παίδων ὄχλος ἅμα γράμμασι μανθάνει.* **Huc redit quod jactat Diodor. Sic. I, 98:** *καὶ Λυκοῦργον δὲ καὶ Πλάτωνα καὶ Σόλωνα πολλὰ τῶν ἐξ Αἰγύπτου νομίμων εἰς τὰς ἑαυτῶν κατατάξαι νομοθεσίας!* **Scytharum morem (VII, p. 795 A) et Sarmatidas (VII, p. 804 E) exempli tantum causa adhibet.**

35) **Cf. imprimis Republ. V, p. 470 E:** *τί δὲ δή, ἣν σὺ πόλιν οἰκίζεις, οὐχ Ἑλληνὶς ἔσται: δεῖ γ' αὐτήν, ἔφη· οὐκοῦν καὶ ἀγαθοί τε καὶ ἥμεροι ἔσονται; σφόδρα γε.*

36) **Menexen. p. 245; Alcib. I, p. 123 D; Epinom. p. 987 E; cf. Phot. Biblioth. cod. CCXLIX, p. 441 Bekk. et Ulrici Charakteristik d. ant. Historiographie p. 178.**

quae Legibus cum Civitate communia sunt, a legitimis Graecarum civitatum principiis neutiquam abhorrent: ut quantum fieri possit universa civitas unius corporis instar sit [37], ut nemo sibi magis quam communi rei vivat [38], ut quam plurima, etiam quae ad privatos pertineant, publica auctoritate regantur [39], ut omnia domi meliora quam apud exteros appareant, neque quidquam aliter esse posse videatur [40]; unde licet plurimi temporum decursu descivissent atque in alia omnia abiissent, nihil tamen Plato proposuit, nisi quod optimus quisque in Graecia semper expetierat ac persecutus erat [41]. Unum illud sibi sumsit, ut, quum alios locorum iniquitate, alios inveterata depravatione ab optimo rei publicae statu prohiberi animadvertisset [42], civitatem ab integro condendam fingeret, cui et situm et multitudinem qualem vellet eligere et quasi optare posset; tamen et hac in causa Cretensium mores, quorum in finibus urbem illam condi fecit, haud neglexit [43], neque fieri posse negavit, ut eadem instituta paulisper

---

37) Legg. V, p. 739 D; VIII, p. 828 E; cf. de Geer p. 132 sqq.

38) Legg. V, p. 740 A; IX, p. 877 D; XI, p. 923 A.

39) Legg. II, p. 657 A; VI, p. 780 A; XII, p. 942 A.

40) Legg. VII, p. 798 B; VIII, p. 838 C.

41) Cf. Tittmann Darstellung d. griech. Staatsverfassungen, p. 16 sqq.; Müller Dorier T. II, p. 6; Wachsmuth hellen. Alterthumskunde T. II, P. 2, p. 6 sqq.; Rötscher Aristophanes u. s. Zeitalter p. 87 sqq.; Stahl Philos. d. Rechts nach geschichtl. Ansicht T. I, p. 43 sqq.

42) Legg. IV, p. 704–708.

43) Ibid. VII, p. 796 B; VIII, p. 842 B et 847 E. Recte Hoeck Kreta T. III, p. 448: *Es liegen dem Luftgebäude grossentheils Verhältnisse eines dorischen Binnenstaats auf*

immutata ad alias quoque civitates transirent earumque rationibus ac necessitatibus accommodarentur[44]. Haec enim est quam ordine tertiam appellat [45], quae Aristoteli ἐξ ὑποθέσεως πολιτεία dicitur [46]; quod tamen nolim ita accipi, ut a nonnullis [47] factum est, ut hanc quoque olim singulari scripto persecuturum fuisse philosophum credamus[48], quasi tribus exemplis absolvi rerum publicarum formas censuisset; innumerae enim pro singularum nationum et urbium fortuna esse possunt, quarum ut quaeque proxime ad perfectae civitatis

---

Kreta zu Grunde, und vieles, was als blosse Idee des Philosophen erscheint, ist eigentlich ein Auffassen historischer Zustände.

44) Legg. V, p. 746 C; VII, p. 805 B; IX, p. 858 B.

45) Ibid. V, p. 739 E: τρίτην δὲ μετὰ ταῦτα, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, διαπερανούμεθα: cf. etiam IX, p. 876 C: τὰ δὲ πλεῖστα αὐτὸν νομοθετεῖν διαῤῥήδην, ἄν τις ἄρα τοιαύτῃ πολιτείᾳ νομοθετῇ ποτέ.

46) Aristot. Politic. IV, 1. 2: ὥςτε δῆλον ὅτι καὶ πολιτείαν τῆς αὐτῆς ἐστὶν ἐπιστήμης τὴν ἀρίστην θεωρῆσαι τίς ἐστι καὶ ποία τις ἂν οὖσα μάλιστ' εἴη κατ' εὐχήν, μηδενὸς ἐμποδίζοντος τῶν ἐκτός, καὶ τίς τίσιν ἁρμόττουσα· πολλοῖς γὰρ τῆς ἀρίστης τυχεῖν ἴσως ἀδύνατον· ὥστε τὴν κρατίστην τε ἁπλῶς καὶ τὴν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἀρίστην οὐ δεῖ λεληθέναι τὸν νομοθέτην καὶ τὸν ὡς ἀληθῶς πολιτικόν· ἔτι δὲ τρίτην τὴν ἐξ ὑποθέσεως, δεῖ γὰρ καὶ τὴν δοθεῖσαν δύνασθαι θεωρεῖν ἐξ ἀρχῆς τε πῶς ἂν γένοιτο καὶ γενομένη τίνα τρόπον ἂν σώζοιτο πλεῖστον χρόνον. Göttlingio p. 370 ἡ ἐξ ὑποθέσεως potius secundae, ἡ ἐκ τῶν ὑποκειμένων tertiae respondere videtur; sed repugnat ordo sententiae apud Aristotelem, licet haud negem ex usu sermonis Graeci etiam talem, qualem in Legibus Plato proposuit, quatenus *pro re nata* constituatur, ἐξ ὑποθέσεως dici posse; cf. Appul. de habit. doctr. Platonis p. 198: *in hac eo tendit, quemadmodum civilis gubernator, ejusmodi loci conventusque multitudinem nactus, j u x t a n a t u r a m p r a e s e n t i u m r e r u m e t c o n v e n a r u m debeat facere civitatem plenam bonarum legum et morum bonorum.*

47) Cf. Boeckh ad Plat. Minoem et de Legg. p. 65 sqq ; Ast Plat. L. u. Schr. p. 392.

48) Formula μετὰ ταῦτα sive εἰςαῦθις et similibus, etiam addito ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, saepissime Plato utitur, non ut ostendat se alio in libro rem amplius tractaturum, sed ut finem sermoni imponat neque quidquam relinquat quod vel discedere vel ad alias res

imaginem accedit, felicissima erit, neque alia de causa tres potissimum gradus distinguuntur, nisi quia longe facilius legislatoris officium est, si ipsa rei publicae primordia ad propositum finem dirigere atque integra omnia ex animi sui sententia constituere possit, quam si corruptam et malis moribus depravatam plebem accipiat, quae nisi divino quodam numine et auctoritate plus quam humana in ordinem cogi et sanari nequeat. Quanquam in pari legum morumque bonitate prudenter Plato intellexit longe meliorem fortunam ejus civitatis fore, quae institutis a majoribus traditis et quasi sponte natis utatur, quam quae nunc demum legibus quamvis optimis condatur[49], neque ipsam quam constituit coloniam prius ad plenum propositae beatitudinis fructum perventuram esse auguratur, quam post aliquantum temporis, ubi instituta sua diuturno usu in consuetudinem verterint[50], atque etiam ea, quae legibus sanciri non possint[51], institutione puerili et communi consensu vim et auctoritatem in animos hominum acceperint. Tantam enim moribus et disciplinae efficaciam ad opti-

---

progredi collocutores vetet; cf. Euthyphr. p. 14 E; Protag. p. 361 E; Cratyl. p. 440 E; Menon. p. 99 E; Lach. p. 201 C; unde si quid obligationis existere videatur, colloquii sociis promissor fictitius, non lectoribus scriptor se astrinxit.

49) Legg. IV, p. 708 B.

50) Ibid. VI, p. 752 C.

51) Ibid. p. 788 C: *ὥστε ἀπορία μὲν περὶ αὐτὰ νομοθετεῖν, σιγᾶν δὲ ἀδύνατον*, unde apparet etiam p. 822 D legendum esse: *οὐ γὰρ ἄρρητά φαμεν εἶναι λέγοντές τε αὐτὰ ὡς νόμους οἴεσθαι τιθεμένους εἶναι πολλῆς ἀνοίας γέμειν.* Vulg. *ῥητά*, sed cf. p. 788 A et p. 793 B. Nam quod *τέ* sequitur, ubi *δέ* potius exspectes, nihil offensionis habet, cf. Ast ad Legg. p. 570 et Zell ad Aristot. Eth. p. 116, quorum exemplis adde Plut. de Isid. et Osir. c. 15: *ταὐτά τε πνεύματί*

mum rei publicae statum tribuit, quantam legibus nunquam [52]), neque hac in re a popularium suorum sententiis recessit, qui licet per ignaviam plerumque educationem negligerent et privato arbitrio relinquerent [53]), tamen morem majorum semper maximi faciebant legesque non scriptas sanctimonia et majestate scriptis longe praeferebant [54]): quod si nihilo secius leges aequalibus scribere Plato necesse habuit, illud tantum in causa esse potuit, quod vetera instituta aut temporum decursu in oblivionem venisse et a pristina incolumitate degenerasse arbitraretur, ut quasi denuo condi ea atque in integrum restitui oporteret, aut experimento edoctus jam ab initio iis defectibus laborasse intelligeret, ut corruptelae et ludibriis hominum prohibendis impares fuissent nec nisi correcta et emendata servari amplius possent. Hinc autem sponte sequitur, quod supra jam monui, Platoni in hoc opere nihil minus propositum fuisse quam ut leges inauditas atque instituta temerario ingenii lusu concepta Graecis obtruderet, sed eo potius omnia rediisse, ut quaecunque apud aliquam gentem usu et ratione probata invenisset, componeret et prudenti temperamento conciliaret, nec nisi ea demum, quae re

---

φασι δαιμονίῳ κ. τ. λ., ubi itidem exstiterunt, qui *δὲ* legi juberent. *Δεῖν* autem post *φαμὲν* solemni more omissum est, de quo cf. Heindorf. ad Plat. Protag. p. 595 et quos praeterea laudant Bähr ad Plut. Artaxerx. p. 89 et Wurm ad Dinarch. p. 143.

52) Legg. II, p. 664 A; VI, p. 766 A; VII, p. 793 A; VIII, p. 838 C; IX, p. 857 E; cf. Diogen. L. III, 86.

53) Xenoph. Cyrop. I, 2. 2; Aristot. Politic. V, 7. 20.

54) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 5, n. 12.

ipsa inania et debilia apparuissent, philosophia duce corrigeret ac perficeret. Atque hoc imprimis in Lacedaemoniorum et Cretensium res publicas cadit, quae quum et antiquissimam Graeciae indolem fidelissime servasse viderentur, et moribus ac disciplina publica optime fundatae essent, non mirum est eas Graeco philosopho adeo placuisse, ut earum formam et libris de Civitate et Legibus quasi pro fundamento subjiceret; idem tamen quum recte intelligeret utramque et muliebris sexus immoderata licentia [55], et puerorum foedis amoribus [56], et nimio rei militaris studio corporumque cura laborare [57], neglectaque sapientia [58] in tanta magistratuum potestate, quum pauca tantum legibus descripta essent [59], quamvis egregie temperatas res publicas paullatim pessum ivisse, nihil intentatum reliquit, quo hos defectus evitaret, quaeque Lycurgus et Minos praevidere non potuissent, experientia monitus in posterum caveret [60]. Verum enimvero ne haec quidem, quae ipse illorum in locum sub-

---

55) Legg. I, p. 657 C; VI, p. 781 A; VII, p. 806 A.

56) Ibid. I, p. 636 B; VIII, p. 836 B.

57) Ibid. I, p. 634; II, p 660 et 666; III, p. 688; IV, p. 705 E; cf. Aristot. Politic. II, 6. 22: *καὶ ὡδὶ δὲ τῇ ὑποθέσει τοῦ νομοθέτου ἐπιτιμήσειεν ἄν τις, ὅπερ καὶ Πλάτων ἐν τοῖς Νόμοις ἐπιτετίμηκε· πρὸς γὰρ μέρος ἀρετῆς ἡ πᾶσα σύνταξις τῶν νόμων ἐστὶ τὴν πολεμικήν.*

58) Republ. VIII, p. 547 E: *τὸ δέ γε φοβεῖσθαι τοὺς σοφοὺς ἐπὶ τὰς ἀρχὰς ἄγειν . . . ἐπὶ δὲ τοὺς θυμοειδεῖς καὶ ἁπλουστέρους ἀποκλίνειν τοὺς πρὸς πόλεμον μᾶλλον πεφυκότας ἢ εἰρήνην κ. τ. λ.*

59) Legg. IV, p. 712 D: *τὸ γὰρ τῶν ἐφόρων θαυμαστὸν ὡς τυραννικὸν ἐν αὐτῇ γέγονε*: cf. Aristot. Politic. II, 6. 16 et 18.

60) Montesquieu de l'esprit des loix IV, 6: *Les loix de Crète étoient l'original de celles de Lacédémone, et celles de Platon en étoient la correction.*

stituit, adeo certa et omnibus numeris absoluta esse existimavit, ut nihil posteris emendandum vel supplendum relinqueret, sed identidem monet multa a se praetermitti, quae melius secundum ipsius vestigia a junioribus constituantur [61], neque vetat corrigi, si quid usu expertis magistratibus minus placuerit [62]; tantumque abest, ut ex solo ingenii ac philosophiae fonte haec omnia promenda duxerit, ut nonnullis in rebus ipse lectores ad veteres legum latores remiserit [63], plurima autem quum aliorum tum Solonis ex legibus ita expresserit, ut numeros tantum et alia, quae levioris momenti essent, suo judicio immutaret. Quamvis enim rem publicam Atheniensium, qualem sua aetate nosset, acerrime odisset, Soloniam tamen, unde illam degenerasse potius quam generatam esse sciret, satis magnis laudibus praedicat [64], neque quidquam magis reprehendisse in ea videtur, quam quod depravationi ingruenti arcendae impar fuisset; quare fundamenta civitatis condendae a Spartanorum institutis petere maluit; legum autem exempla, quibus hi carerent, accuratiora magisque ad omnes vitae civilis casus accommodata invenire non poterat [65], praesertim quum Solo et ipse neutiquam omnia nova excogitasse,

61) Legg. VI, p. 769 D; VIII, p 835 A; IX, p. 855 D; XI, p. 918 A; XII, p. 957 A.

62) Ibid. VI, p. 770 E et p. 772 B sq.

63) Ibid. VIII, p. 843 E.

64) Legg. III, p. 698 B.

65) Id ipsum quamvis lacunoso et misere dilacerato loco testari videtur Himerius Or. XXVI. 5, p. 828 Wernsd.: *τί Πλάτωνα σοφόν ἐποίησε; Σόλων . . .*

sed multa vel ab aliis legum latoribus ascivisse vel ex antiquis Graeciae moribus et cerimoniis recepisse videatur. Nec Zaleuci Charondaeve legibus si quis Platonem nonnulla debuisse contendat, renuam, quoniam certa ejus rei vestigia exstant 66), modo ne praefationes legum huc trahantur, quas utriusque sub nomine Stobaeus nobis servavit 67); quas etsi jam Cicero Platonem ante oculos habuisse opinatur 68), hunc tamen ipsum ignorasse clara ejus verba ostendunt, ubi negat quemquam ante se legum latorem hoc artificio usum esse 69); quod nisi ille ementitus est, longe rectius statuemus, id quod aliis quoque argumentis satis probabile fit, ad ipsius demum exemplum prooemia illa a falsariis conficta esse 70). Quod autem hincinde vel distincte veteres legum latores objurgat 71), vel ab iis quae Solonem Athenis instituisse constat, ita recedit, ut simul illum reprehendere videatur 72),

---

66) Theophrast. ap. Stob. Floril. XLIV, p. 204 Gaisf.: *ἢ ὥςπερ Χαρώνδας καὶ Πλάτων· οὗτοι γὰρ παραχρῆμα κελεύουσι διδόναι καὶ λαμβάνειν· ἐὰν δέ τις πιστεύσῃ, μὴ εἶναι δίκην· αὐτὸν γὰρ αἴτιον εἶναι τῆς ἀδικίας:* cf. Legg. XI, p. 915 E. Nominatim etiam Charondam commemorat Republ. X, p. 599 E.

67) Floril. XLIV, 20 et 40.

68) De Legg. II, 6: *quod idem et Zaleucum et Charondam fecisse video . . quos imitatus Plato videlicet hoc quoque legis putavit esse, persuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere.*

69) Legg. IV, p. 722 E: *τῶν δὲ ὄντως νόμων ὄντων, οὓς δὴ πολιτικοὺς εἶναί φαμεν, οὐδεὶς πώποτε οὔτ᾽ εἶπέ τι προοίμιον οὔτε ξυνθέτης γενόμενος ἐξήνεγκεν εἰς τὸ φῶς, ὡς οὐκ ὄντος φύσει.*

70) Cf. Bentleji opuscula p. 347 sqq. et Heynii opuscula academica T. II, p. 71 et 166.

71) Legg. XII, p. 922 E.

72) Ut v. c. quod pecuniam foeneri dari vetuit (Legg. V, p. 742 C; XI, p. 921 C), quod bona damnatorum publicari noluit (Legg. IX, p. 855 A), quod acerrime impugnat *ἀντωμοσίας* usum, quo litigatores in jure sacramentum interponere cogebantur (Legg. XII, p. 948 B) etc.

sententiam nostram non modo non refellit, verum ipsa exceptione etiam confirmat; siquidem hinc quoque apparet, Platonem in legibus condendis non vana ingenii somnia secutum esse, sed patria semper instituta ante oculos habuisse, unde licet in singulis, quae perniciosa esse intelligeret, discedere non dubitaret, tamen ubi ratione non carerent, consentaneum erat eum haec potius, quae usu et diuturna consuetudine commendarentur, asciscere, quam suum ipsius judicium in novis fingendis temere experiri.

III.

Tria igitur genera legum Platonicarum distinguenda erunt: primum earum, quas vel Spartanorum rei publicae vel Solonis legibus vel alius cujuscunque gentis institutis deberi certis argumentis compertum sit; alterum earum, in quibus eum suas potius rationes quam aliena exempla secutum esse appareat; quo tamen quum in tanta veterum monumentorum penuria neutiquam ea omnia referre liceat, de quorum origine non liquido aliunde constet, tertium addemus eorum, quae licet apud solum Platonem exstare norimus, tamen conjectura pariter cum primo genere ex alienis fontibus repetere audeamus. Sive enim universam instituti alicujus formam ex alienis legibus assumit, etiam reliqua et singula, quae in illud confert, eundem fontem habere verisimile erit; sive rationes agendi aut eventus eosdem apud alias gentes invenerimus, etiam leges et instituta similia

fuisse colligemus; sive aliquid sanxerit de re, quam aliis quoque in civitatibus lege describi necesse fuerit, consentaneum erit, etiam si nihil de ea re certi traditum sit, illarum eum exemplum respexisse; qua in causa licet summa cautione opus sit, ne quid temere asseramus, quod reliquae civitatis alicujus indoli reive publicae formis repugnet, tamen ubi contrarium demonstrari nequeat, haud profecto inepte statuemus eum, quem tot in rebus veteres legum latores secutum esse constet, etiam in aliis, de quibus minus constet, illorum institutorum memoriae vel confirmandae vel illustrandae vel supplendae inservire. Quae quum ita sint, quoniam non tam illud agimus, ut Platonis ipsius placita explicemus, quam ut rebus publicis Graecis quantum possimus lucis inde affundamus, ea, quorum aut similitudo aut discrepantia cum Platonis legibus certa est, breviter tantum atque in transcursu attingemus, in reliquis autem institutorum veterum vestigia cautissime simul et accuratissime persequi conabimur. Ac Lacedaemoniorum quidem rei publicae, unde supra jam diximus Platonem totius civitatis fundamenta petiisse, quantum debuerit, vix est quod fusius enarremus; quae quum omnino antiquos Graeciae mores omnium integerrimos servasse videretur, tum imprimis disciplinae publicae clarissima exempla praebebat; nec veteres scriptores fugit [73], quantum Spartanorum virtus congrueret cum ea,

---

73) **Plut. V. Lycurg. c. 31:** *ὥςπερ ἑνὸς ἀνδρὸς βίῳ καὶ πόλεως ὅλης νομίζων εὐδαιμονίαν ἀπ' ἀρετῆς ἐγγίγνεσθαι καὶ ὁμονοίας τῆς πρὸς αὑτὴν, πρὸς τοῦτο συνέταξε καὶ συνήρμοσεν, ὅπως ἐλευθέριοι*

qua Plato cives suos non magis legibus quam praeceptis et toto vitae genere imbuere studuit [74]. Hinc obsequii laus et commendatio, quo ipso imperare homo discat [75]; hinc seniorum auctoritas, quibus vel castigare petulantes et flagitiosos etiam privatis liceat [76]; hinc moenium deprecatio, quae et valetudinem civium imminuere et animos imbelles reddere arguit [77]; hinc dotes prohibitae, ne res familiaris immodice augeatur mulieresve imperiosae et contumaces adversus maritos fiant [78]; hinc ipsa matrimoniorum cura, quibus ut abstinere

---

καὶ αὐτάρκεις γενόμενοι καὶ σωφρονοῦντες ἐπὶ πλεῖστον χρόνον διατελῶσι. Ταύτην καὶ Πλάτων ἔλαβε τῆς πολιτείας ὑπόθεσιν κ. τ. λ.

74) Legg. IX, p. 857 E: *ὅστις περὶ νόμων οὕτω διεξέρχεται καθάπερ ἡμεῖς τὰ νῦν, παιδεύει τοὺς πολίτας ἀλλ' οὐ νομοθετεῖ.*

75) Ibid. VI, p. 762 E: *δεῖ δὲ πάντ' ἄνδρα διανοεῖσθαι περὶ ἁπάντων ἀνθρώπων, ὡς ὁ μὴ δουλεύσας οὐδ' ἂν δεσπότης γένοιτο ἄξιος ἐπαίνου, καὶ καλλωπίζεσθαι χρὴ τῷ καλῶς δουλεῦσαι μᾶλλον ἢ τῷ καλῶς ἄρξαι:* cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 26, n. 8 et §. 28, n. 11.

76) Legg. IX, p. 879 C; XI, p. 917 A et 935 C; cf. et IV, p. 730 D et VII, p. 808 E. De Lacedaemoniis Dionys. Hal. Exc. Archaeol. XX, 2: *Λακεδαιμόνιοι ὅτι τοῖς πρεσβυτάτοις ἐπέτρεπον τοὺς ἀκοσμοῦντας τῶν πολιτῶν ἐν ὅτῳ δή τινι τῶν δημοσίων τόπων ταῖς βακτηρίαις παίειν,* et quae praeterea attuli in Lehrbuch cit. §. 28, n. 14. Verberibus autem praeterea in cives animadverti publice non jubet Plato nisi in eos qui triginta annis minores sint, ut VIII, p. 845 C et XI, p. 932 B, neque erat quod Wachsmuthius (Hellen. Alterth. T. II, P. 1, p. 185) miraretur eum (Legg. IX, p. 855 C) praeter Graecorum morem verbera inter poenas enumerare; quod enim flagellis caedi jubet in foro, si quis rem adulteratam vendiderit, inquilinorum magis quam civium conditionem respexisse videtur.

77) Legg. VI, p. 778 D.

78) Ibid. V, p. 742 C; VI, p. 774 C. Dotes etiam Lycurgum dari vetuisse testantur Hermippus apud Athen. XIII, 2, Aelian. V. Hist. VI, 6, et Justin. III. 3, qui similes rationes affert: *ut uxores eligerentur, non pecuniae, severiusque matrimonia sua viri coërcerent, quum nullis dotis frenis tenerentur.* Soloniam legem apud Plutarchum (V. Sol. c. 20: *τῶν δ' ἄλλων γάμων ἀφεῖλε τὰς φερνάς, ἱμάτια τρία καὶ σκεύη μικροῦ νομίσματος ἄξια κελεύσας, ἕτερον δὲ μηδὲν ἐπιφέρεσθαι τὴν γαμουμένην*) ornatum tantum sponsae, non dotem restringere, monui

cives suos vetat [79], ita continenter et sobrie ac pudice uti jubet [80]. Quanquam hac in re paululum a Lycurgo discessit, quod quum ille vel praemia proposuisset iis, qui magnum filiorum numerum procrearent [81], Plato liberorum procreationem, quanta satis sit rei publicae, duorum numero, maris et feminae, circumscribit [82]; quod si Lycurgus quoque fecisset, profecto non tam mature agrorum penuria coactos alienas terras invadere cives suos coëgisset [83]. Atque omnino hac in causa apparet quod supra monui Platonem usu edoctum ea evitasse, quae in reliqua institutorum similitudine veteribus rebus publicis detrimento fuisse intelligeret; qui quum in ipsis agris aequaliter distribuendis singularumque portionum integritate sancienda Lycurgum presse sequeretur, tamen illud quoque novum adjecit, ut si quis forte plures filios relinqueret, unum ex his quem ipse vellet solum

---

in Lehrbuch cit. §. 122, n. 2. Illud potius a Solone petiisse Plato videatur, quod aliquid certe *ἐσθῆτος χάριν* dari concedit, quod num Spartae licuerit, non constat.

79) Legg. IV, p. 721 B; VI, p. 774 A, B, ubi quam coelibi minatur *ἀτιμίαν*, similis utique est ei qua Lacedaemonios coelibatum persecutos esse constat; cf. Lehrbuch cit. §. 28, n. 17. Praeterea videant docti, num veri simile sit Spartae quoque annum aetatis tricesimum quintum juvenibus praestitutum fuisse, intra quem uxores ducerent.

80) Quod Xenophon de Rep. Lac. I, 5 et Plutarchus V. Lycurg. c. 15 de *αἰδοῖ καὶ τάξει* tradunt, qua nuptias Lycurgus imbuerit, idem Platoni obversatum esse videtur in Legg. VI, p. 776 A et VIII, p. 841 A.

81) Cf. Aristot. Politic. II, 6. 13; Aelian. V. Hist. VI, 6.

82) Legg. XI, p. 930 C: *παίδων δὲ ἱκανότης ἀκριβὴς ἄῤῥην καὶ θήλεια ἔστω τῷ νόμῳ*: cf. et V, p. 740 D: *ἐπισχέσεις γενέσεως οἷς ἂν εὔῤους ᾖ γένεσις.*

83) Cf. disp. meam de causis turbatae apud Lacedaemonios agrorum aequalitatis (Marb. 1834, 4) p. 48.

heredem scriberet, reliqui vel adoptione in alias domos transirent, vel extorres in colonias ablegarentur 84); quod a Lycurgi legibus prorsus alienum esse quum aliis rebus 85) tum Polybii testimonio confirmatur, quo edocemur Spartae pluribus fratribus vel uxorem, nedum rem familiarem communem habere licuisse 86); ut omittam Platonem, qui hoc in loco distincte veteres legum latores reprehendit, qui testamenti factionem omnino liberam permisissent 87), si Lycurgum vel alium veterem ducem in eo artificio habuisset, hunc et illorum numero exemturum et auctoritate ipsius contra reliquos usurum fuisse. Ipsam autem agrorum divisionem, quorum aequas partes definito civium numero distribuit eoque solo fundamento

---

84) Legg. V, p. 740 B; XI, p. 923 C.

85) Cf. quae in disp. cit. p. 30 sqq. dixi contra Plutarchum apud Proclum ad Hesiod. *ἔ. κ. ἡ.* 374, qui Lycurgum Platoni hac in re praeivisse tradit: *καὶ Πλάτων ἕπεται τῷ Ἡσιόδῳ καὶ Ξενοκράτης, καὶ Λυκοῦργος πρὸ τούτων, οἳ πάντες ᾤοντο δεῖν ἕνα κληρονόμον καταλιπεῖν.*

86) Polyb. exc. l. XII, c. 6 in A. Maji scriptt. vett. e codd. Vatt. T. II, p. 384. Mirum profecto hoc loco reperto etiam nunc esse, qui majoratuum vestigia apud Spartanos invenire sibi videantur, ut C. H. Lachmannus in libro recens edito: die spartanische Staatsverfassung in ihrer Entwickelung und ihrem Verfalle (Vratislav. 1836, 8) p. 172 sqq; unde quam aliena Graecorum ingenia fuerit, ipse Platonis locus docet, ubi licet uni tantum ex filiis patrimonium destinetur, tamen utpote pari omnium jure patri libera optio datur; praecipui honoris maximo natu habiti ne scintilla quidem apparet.

87) Quid quod ipsi Lycurgo hoc tribuit Aristoteles Politic. II, 6. 10: *ὠνεῖσθαι μὲν γὰρ ἢ πωλεῖν τὴν ὑπάρχουσαν ἐποίησεν οὐ καλὸν . . . διδόναι δὲ καὶ καταλείπειν ἐξουσίαν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις.* At vero Solonem primum liberum testandi arbitrium fecisse narrat Plutarchus V. Solon. c. 21; quapropter veri simile est Aristotelem ad Lycurgum retulisse, quod nuper demum per legem Epitadei invectum erat, quam hoc ipso nomine Lycurgo opponit Plutarchus V. Agid. c. 5.

civitatis salutem niti contendit [88], tam manifesto ad Spartanorum exemplum instituit, ut in horum ipsorum rationes agrarias haud minima inde lux redundet [89]; quas licet et ipsas nuper in tanta rerum novarum cupiditate exstiterint qui labefactare et confundere conarentur [90], tamen et unanimi antiquitatis consensu refutantur et Platonem certe ita contradicentem habent, ut etiam si aequalem illam agrorum distributionem Spartanis falso tribui ostenderint, Platonem tamen concedere debeant illum ipsum errorem in civitate sua condenda secutum esse [91]. Cetera quoque, quae de agrorum possessione

88) Cf. Legg. V, p. 736 E, ubi mirum est neminem adhuc corrigendum vidisse *ταύτης δὲ σαθρᾶς οὔσης τῆς βάσεως οὐκ εὔπορος ἡ μετὰ ταῦτα πολιτικὴ πρᾶξις κ. τ. λ.* Vulgo *μεταβάσεως* sine sensu; praepositio ex sequentibus irrepsit. *Βάσιν* dicit quam paulo ante *κρηπῖδα.*

89) Cf. quod in disput. cit. p. 22 ex Legg. V, p. 745 C repetii contra Kortümium in Schlosser's u. Bercht's Archiv T. IV, p. 154 sqq., qui mirabatur, quomodo in diversa agrorum fertilitate pares omnibus portiones assignari potuissent!

90) Praeter Kortümium, cui satis superque olim respondisse mihi videor, in eundem errorem nuper incidit Lachmannus l. c. p. 168, qui tamen praeter ea quae per totum illum librum admirabilia atque incredibilia profudit, nihil argumenti attulit nisi unum locum vanissimi declamatoris Isocratis, qui in Panathenaico §. 259 negat unquam Spartae *γῆς ἀναδασμὸν* factum esse. Quanquam hoc ipso loco nihil aliud probatur, nisi eam possessionis formam, quae inde a condita per Lycurgum re publica obtinuisset, ad Isocratis usque aetatem nunquam per vim ac seditionem mutatam ac denuo descriptam esse; neque enim profecto is erat Isocrates, qui ejusmodi distributionem, qualem Lycurgus instituisse fertur, inter *συμφορὰς πόλεων* et *ἀνήκεστα κακὰ* referret!

91) Dudum usus sum hac in causa loco Legg. III, p. 684 D, quem quod suae potius quam meae sententiae favere Lachmannus credidit, nihil aliud demonstravit nisi se Platonem aut non intellexisse aut non inspexisse. Plato enim tantum abest ut neget agros apud Lacedaemonios aequaliter distributos esse, ut eandem aequalitatem, quam postea Lycurgus restituit novisque cautelis sanxit et propagavit, usque ad primordia rerum publicarum Doriensium persequatur, felicesque illarum conditores praedicet, qui quum

et fructu statuit, proxime ad Spartanorum mores et instituta accedunt: ne alienari patrimonia dispertirive liceat [92], neve ipsi manibus suis cives agros colant, sed servis colendos tradant eorumque pensionibus et tributis victitent [93]; quanquam hoc etiam Cretensium ex legibus peti poterat [94], easque adeo respici veri similius est, siquidem quod arctissime cum hoc vitae genere conjunctum est syssitiorum institutum ad Creticum potius quam ad Laconicum modum descripsit [95]. Nam quum Lacdaemone singuli symbolas suas ad convivia conferrent, interdum accidit, ut si quis magnas calamitates passus esset, in partem coenae venire non posset [96]; quod quum Plato non magis quam Aristoteles probaret, Cretensium morem praetulit, quo symbolis omnium in medium collatis mox singulis aequae portiones distribuebantur, unde recte Aristoteles ait non privatis sed communibus impensis Cretenses

civitates ab integro constituerent, salutari illo instituto sine cujusquam damno et invidia uti potuissent (*τοῖς δὲ δὴ Δωριεῦσι καὶ τοῦθ' οὕτως ὑπῆρχε καλῶς καὶ ἀνεμεσήτως, γῆν τε ἀναμφισβητήτως διανέμεσθαι*); idque etiam alio loco confirmatur Legg. V, p. 736 C, ubi sibi ipsi gratulatur, quod eadem sibi cum Heraclidis opportunitate in suis legibus condendis uti liceat.

92) Legg. V, p. 741 B; cf. Heracl. Pont. c. 2 et Plut. institt. Laconica T. VIII, p. 252 Hutten.

93) Legg. VII, p. 806 E: *γεωργίαι δὴ ἐκδεδομέναι δούλοις ἀπαρχὴν τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀποτελοῦσιν ἱκανὴν ἀνθρώποις ζῶσι κοσμίως*; cf. Müller Dorier T. II, p. 33 sqq.

94) Cf. Hoeck Kreta T. III, p. 22 sqq. pluraque in universum in Lehrbuch cit. §. 22, n. 5 sqq.

95) Legg. VIII, p. 842 B et p. 847 E sqq.

96) Cf. Aristot. Politic. II, 6. 21 et diss. meam de Homoeis p. 13.

victitasse[97]. Neque enim Lyctiis solis hunc morem proprium fuisse, ut ex Dosiadae loco[98] videri possit, ipsum nostri testimonium ostendit, qui si quos Cretensium singulatim respiceret, de Cnosiis potius Cliniae popularibus quam de Lyctiis loqueretur; neque omnino quidquam aptius ad conciliandas utriusque scriptoris narrationes cogitari potest, quam locus Platonicus, ubi omnes omnium proventus annui primum quidem aequaliter per duodecim tribus distribuuntur[99], deinde vero singulae partes trifariam dividuntur ita, ut ex duabus cives et syssitiis sufficere et servos suos et jumenta alere possint, tertia autem pars inquilinis et peregrinis venalis proponatur; quae etiam si fortasse in nonnullis a Cretensium usu discrepent, illud tamen manifesto ostendunt, quomodo simul et singuli ad syssitia conferre et universi publice ali potuerint[100]. Ea quoque, quae de peregrinis atque

---

97) Politic. II, 7. 4: *τὰ μὲν οὖν τῶν συσσιτίων ἔχει βέλτιον τοῖς Κρησὶν ἢ τοῖς Λάκωσιν· ἐν μὲν γὰρ Λακεδαίμονι κατὰ κεφαλὴν ἕκαστος εἰςφέρει τὸ τεταγμένον, εἰ δὲ μὴ, μετέχειν νόμος κωλύει τῆς πολιτείας . . ἐν δὲ Κρήτῃ κοινοτέρως· ἀπὸ πάντων γὰρ τῶν γινομένων . . τέτακται μέρος τὸ μὲν πρὸς τοὺς θεοὺς καὶ τὰς κοινὰς λειτουργίας, τὸ δὲ τοῖς συσσιτίοις, ὥςτε ἐκ κοινοῦ τρέφεσθαι πάντας καὶ γυναῖκας καὶ παῖδας καὶ ἄνδρας.*

98) Apud Athenaeum IV. 22, qui miro modo et Neumannum in rer. Cretic. spec. p. 105 et Hoeckium in Kreta T. III, p. 135 seduxit, ut apud Lyctios singulos, apud alios, quos Aristoteles respexerit, aerarium sumtus conviviorum erogasse crederent; multo rectius Müller Dor. T. II, p. 203 utrumque de eodem more loqui intellexit.

99) Ita procul dubio accipiendum, quod Plato ait: *δώδεκα μὲν γὰρ δὴ μέρη τὰ πάντα ἐκ τῆς χώρας γιγνόμενα νέμειν χρεὼν πάντας, ᾗπερ καὶ ἀναλωτέα:* Müllerus et Hoeckius ad duodecim menses referunt, quod vix fieri poterat, quum non semel quotannis, sed quandocunque res ferret symbolas in commune collatas esse consentaneum sit.

100) Unum tantum apud Dosiadam et Platoni et Aristoteli repugnat, quod tamen ita comparatum est, ut per se jam dubitationes movere possit; nimirum quod, quum illi

hospitibus mercatoribusque excipiendis Plato sancit[101], Cretensium potius humanitatem quam Lacedaemoniorum ξενηλασίαν referunt[102]; in iis autem, quae ad ipsorum civium peregrinationes spectant, prope ad horum rigorem redit[103], atque etiam illud artificium amplectitur, quod vel solum sufficiebat ad Spartanos homines ab omni exterorum commercio coërcendos[104], ut proprio pecuniae genere cives uti jubeat nec nisi in publico servari peregrinos numos permittat, unde si quis magistratuum indultu iter facere instituat petat, eodemque si quid ex alienis terris secum attulerit referat[105]. Imprimis autem ea, quae ad bellum atque exercitationes bellicas pertinent, ad Lacedaemoniorum exemplum expressa sunt; quibus etsi nimium fortitudinis studium in educanda juventute exprobrat, tamen in iis, quae ipse hujus rei causa instituit, ita illos sequitur, ut et gymnasticam artem totam ad usum bellicum dirigi jubeat[106], et in omni vitae genere ordinem et

---

omnes omnium proventus in commune collatos esse narrent, hic decimam tantum frugum partem tradit, quo facto jure nostro quaerimus, quid reliquis novem partibus factum sit; quapropter vix mihi tempero, quin aliquid excidisse suspicer locumque hoc fere modo in integrum restituam: ἕκαστος τῶν γιγνομένων καρπῶν ἀναφέρει τὴν δεκάτην [εἰς τοὺς θεούς, τὸ δὲ λοιπὸν] εἰς τὴν ἑταιρίαν καὶ τὰς τῆς πόλεως προσόδους, ἃς διανέμουσιν οἱ προεστηκότες τῆς πόλεως εἰς τοὺς ἑκάστων οἴκους κ. τ. λ.

101) Legg. XII, p. 952 sq.

102) Hoeck Kreta T. III, p. 450 sqq.; cf. p. 129 et 423 sq.

103) Legg. XII, p. 950; cf. Xenoph. de Rep. Lac. XIV, 4; Plut. V. Lycurg. c. 27; Aristot. ap. Harpocrat. p. 159.

104) Cf. Lehrbuch cit. §. 28, n. 5.

105) Legg. V, p. 742.

106) Ibid. VII, p. 804 D et 814 D; cf. Lehrbuch §. 26, n. 12.

quasi tenorem militarem quam maxime commendet [107]. Praeterea selectae adolescentium manui solemnes excubias injungit, quibus per biennium singuli militari more degentes simul et regionem patriam custodiant et cognoscant [108]; qui licet aliquo modo etiam cum Atheniensium ephebis circuitoribus [109] comparari possint, tamen ipso nomine potius *κρυπτείαν* Lacedaemoniorum suggerunt eique instituto quam maximam lucem affundunt. Quamvis enim aliunde quoque constet, *κρυπτείᾳ* illud imprimis propositum fuisse, ut essent qui accuratissima locorum notitia instructi tolerandisque laboribus assuefacti, ubi res ita ferret, latebras omnes locosque avios perrepere atque hostium consilia excipere speculando possent [110], tamen nescio qua invidia factum est, ut primarium ejus consilium in Helotarum excidio poneretur [111], quod ut seriori aetate, quum nimius horum numerus extimesci coepisset, interdum vel concessum vel injunctum adolescentibus illis esse concedamus, tamen ipse vocabuli usus apud Platonem docet

---

107) Legg. XII, p. 942; cf. Aristid. Orat. T. I, p. 359 Dindorf.

108) Ibid. VI, p. 760—763; cf. et p. 778 E.

109) *Περιπόλοις*, de quibus vide Lehrbuch §. 123, n. 9. At apud Platonem inter annum vicesimum quintum et tricesimum capiuntur atque ex omni juventute seliguntur, quod ipsum in Lacedaemoniorum *κρυπτοὺς* cadit; cf. Plut. V. Lycurg. c. 27: *τῶν νέων οἱ ἄρχοντες τοὺς μάλιστα νοῦν ἔχοντας κ. τ. λ.*, quapropter nec Müllero concedere audeo (Dor. T. II, p. 302) *κρυπτείαν* Lacedaemone quoque militarem aetatem antecessisse.

110) Plut. V. Cleom. c. 28: *καλέσας δὲ Δαμοτέλη, τὸν ἐπὶ τῆς κρυπτείας τεταγμένον, ὁρᾷν ἐκέλευε καὶ ζητεῖν ὅπως ἔχει τὰ κατὰ νώτου καὶ κύκλῳ τῆς παρατάξεως:* cf. et Plat. Legg. I, p. 633 C.

111) Cf. Heracl. Pont. de Rebuspubl. c. 2 et Plut. V. Lycurg. c. 27.

nomen rei prorsus sine infamia fuisse [112]. Eadem denique alius instituti causa esse videtur, quod ut a multis jam antiquitus Lacedaemoniis vitio datum est, ita Platonis legibus comparatis longe aliam formam induit; furandi licentiam dico [113], quam ille licet in universum atrocissime coërceat [114], tamen in fructibus arborum et similibus rebus concedit ita, ut si quis minor triginta annis in ejusmodi furto deprehendatur, verberibus sed sine ignominia castigetur [115], neque aliam Lacedaemone rem fuisse et inde patet, quod ea tantum quae lex permitteret subripere licuisse audimus [116], et Plutarchi testimonio [117], qui olera tantum atque alia edulium genera hac in causa enumerat; simul tamen eorum quoque opinio in dubitationem adducitur, qui etiam hunc morem ad militarem exercitationem et disciplinam rei bellicae referunt [118]; apud Platonem certe utrumque genus longissime disjunctum est.

112) Recte hoc intellexerunt etiam Barthélemy, voyage d'Anach. T. IV, chap. XLVII, note p. 326, et Müller Dor. T. II, p. 42—44, mirumque est nuper Lachmannum l. c. p. 149 ad veterem errorem rediisse.

113) Cf. Lehrbuch cit. §. 26, n. 7.

114) Legg. IX, p. 857 A; XII, p. 941 B.

115) Ibid. VIII, p. 845 B.

116) Xenoph. Anab. IV, 6. 16: *ὑμεῖς γὰρ ἔγωγε ἀκούω τοὺς Λακεδαιμονίους, ὅσοι ἐστὲ τῶν ὁμοίων, εὐθὺς ἐκ παίδων κλέπτειν μελετᾶν, καὶ οὐκ αἰσχρὸν εἶναι ἀλλ' ἀναγκαῖον κλέπτειν, ὅσα μὴ κωλύει νόμος· ὅπως δ'ὅτι κράτιστα κλέπτητε καὶ πειρᾶσθε λανθάνειν, νόμιμον ἄρα ὑμῖν ἐστίν, ἐὰν ληφθῆτε κλέπτοντες, μαστιγοῦσθαι.*

117) V. Lycurg. c. 17.

118) Ut v. c. Gellius N. Att. XI, 18. Cum *κρυπτείᾳ* utique, quacum Müller (Dor. II, p. 310) eum conjungit, nihil commune habet; neque enim veri simile est *κρυπτοὺς*, qui publice emissi essent, verberari licuisse.

IV.

His autem Creticis Laconicisque institutis, quae civitati in Creta condendae quasi substerni consentaneum erat, tot tantaque ex peregrinis inque primis Atticis legibus petita immiscentur [119], ut si a disciplina publica recesseris, ipsa rei publicae forma vel propius ad Athenarum quam Lacedaemonis exemplum accedat neque quidquam magis spectasse Plato videatur, quam ut rem publicam patriam, quotquot posset integris servatis, additamentis tantum vel mutationibus necessariis corrigeret atque emendaret [120]. Nam quum duae maxime res sint, in quibus cura rei publicae ordinandae cernatur, in magistratibus instituendis atque in legibus sanciendis, quibus illi civitatem regant [121], leges quanta cum Solonis Draconisve institutis communia habeant, postmodo videbimus: in magistratibus [122] autem licet diversas ab imperio populari rationes sequeretur, tamen et minutas

---

119) Hanc enim veniam sibi concessam esse aperte monet Clinias (Legg. III, p. 702 C), ut leges etiam alienasrecipiat: *καὶ εἴ τινες ἑτέρωθεν, μηδὲν ὑπολογιζόμενος τὸ ξενικὸν αὐτῶν, ἂν βελτίους φαίνωνται.*

120) Qua in causa neque illud negligendum est, quod in arce praeter Jovis et Vestae imprimis Minervae templum consecrari jubet (Legg. V, p. 745 B), cujus ut Athenis summum, ita in Creta exiguum tantum cultum fuisse constat.

121) Legg. V, p. 735 A; VI, p. 751 A.

122) Magistratus id est *ἀρχὰς* dico latissimo sensu, qui et consilia publica et judicia comprehendit; quod etsi a Romanorum loquendi usu longissime recedit, Graecorum tamen et reliquorum et ipsius Platonis auctoritate et exemplo confirmatur. Cf. Legg. VI, p.

res plurimas et nonnullas gravissimas ita constituit, ut appareat, quantum apud illum domestica consuetudo valuerit. Sic, ut hoc utar, etsi Cretensibus leges daret, quos pariter ut Lacedaemonios annum ab aequinoctio auctumnali auspicatos esse constat [123]), magistratus tamen sicut Athenis circa solstitium aestivum adiri jussit [124]); neque quidquam popularius inveniri potest, quam quod omnes, quicunque aliquid publice administrassent, rationis reddendae officio astrinxit [125]), judiciorum autem exercendorum jure neminem civem excludi voluit [126]). Quid quod ne sortitionem quidem omnino rejecit, scilicet ut aliquo popularis áequitatis genere rem publicam temperaret [127]), eamque adeo quum aliis in magistratibus, tum imprimis in sacerdotibus judicibusque creandis commendavit, quia et divini numinis speciem haberet [128]), et cum minimo corruptionis metu conjuncta esset [129]). Quanquam

---

766 B et 767 A; Xenoph. Rep. Ath. I, 3; Aristot. Politic. III, 1. 5 et 6. 12, quaeque praeterea attuli in Quaestt. de jure et auctor. magistr. apud Athen. c. II, p. 32 sqq.

123) Cf. Ideler Handbuch d. Chronologie T. I, p. 426.

124) Legg. VI, p. 767 C: *ἐπειδὰν μέλλῃ νέος ἐνιαυτὸς μετὰ θηρινὰς τροπὰς τῷ ἐπιόντι μηνί γενέσθαι.*

125) Ibid. VI, p 761 E: *δικαστὴν δὲ καὶ ἄρχοντα ἀνυπεύθυνον οὐδένα δικάζειν καὶ ἄρχειν δεῖ πλὴν τῶν τὸ τέλος ἐπιθέντων οἷον βασιλέων*; cf. VIII, p. 846 B et XII, p. 945 B.

126) Ibid. VI, p. 768 B: *δεῖ δὲ καὶ τῶν ἰδίων δικῶν κοινωνεῖν κατὰ δύναμιν ἅπαντας· ὁ γὰρ ἀκοινώνητος ὢν ἐξουσίας τοῦ συνδικάζειν ἡγεῖται τοπαράπαν πόλεως οὐ μέτοχος εἶναι*: cf. Aristot. Politic. III, 1. 4.

127) Legg. VI, p. 757 E: *διὸ τῷ τοῦ κλήρου ἴσῳ ἀνάγκη προσχρήσασθαι δυσκολίας τῶν πολλῶν ἕνεκα κ. τ. λ.*

128) Ibid. III, p. 690 C; VI, p. 759 B; cf. Welcker ad Syll. epigr. p. 294.

129) Ibid. VI, p. 768 B.

illud artificium, quo saepius Plato utitur, ut ex iis demum, qui suffragiis civium designati sint, certum numerum, qui magistratum gerant, sortiatur[130], Athenienses raro usurparunt[131], neque in eligendis magistratibus illud secuti sunt, quod ex oligarchico rei publicae genere[132] in suam Plato recepit, ut opulentiores cives mulcta proposita comitiis interesse cogerentur, pauperioribus autem impune esset abfuisse[133]; nisi forte hoc quoque a Solone institutum ingruente populari imperio antiquatum est. Nam quod et census classiumque in suffragiis ferendis rationem haberi jubet atque eos tantum eligi vult, qui arma habeant et stipendia vel equestria vel pedestria mereant[134], licet postera aetate et ipsum Athenis fere totum evanuerit[135], tamen omnino Solonium est[136], neque ipsas illas quatuor classes censorias, quibus saepissime in describendis civium muneribus

130) Ibid. VI, p. 756 E; 763 E; 765 B.

131) Cf. Lehrbuch cit. §. 149, n. 13 et 14. Petiti commentum (Legg. Att. p. 219) quo conjecit populum elegisse quos vellet, eosque deinde magistratus inter se sortitos esse, dudum explosum est; cf. Perizon. ad Ael. V. Hist. VIII, 10.

132) Aristot. Politic. II, 3. 11 et 12; cf. IV, 7. 2; 10. 6; 11. 8.

133) Legg. VI, p. 764 A et 765 C.

134) Ibid. VI, p. 753 B; cf. Lehrbuch §. 67, n. 2.

135) Cf. Plut. V. Aristid. c. 22 et Lysiam pro invalido §. 13. In quaestoribus tantum sacrorum mansit, quod et Plato jussit Legg. VI, p. 760 A, ut *ἐκ τῶν μεγίστων τιμημάτων* caperentur, cf. Poll. Onom. VIII, 97; unde illud quoque colligimus Athenis obtinuisse, quod Plato sanxit p. 774 B: *μὴ ἐκπράξας δὲ αὐτὸς ὀφειλέτω καὶ ἐν ταῖς εὐθύναις τοῦ τοιούτου λόγον ὑπεχέτω πᾶς.*

136) Cf. Aristot. Politic. II, 9. 4; Plut. V. Solon. c. 18; Poll. Onom. VIII, 130.

utitur, aliunde potius quam ex patria petiisse videtur [137]. Tribus autem quod duodecim numero quam decem facere maluit [138], parum, opinor, interest; illud certe hoc quoque in genere Athenarum exemplum refert, quod et praeter tribus cives per curias et pagos distribuit [139] et ipsarum tribuum ex numero senatum in totidem prytanias

---

137) Legg. V, p. 744 B: *δεῖ δὲ πολλῶν ἕνεκα τῶν τε κατὰ πόλιν καιρῶν ἰσότητος ἕνεκα τιμήματα ἄνισα γενέσθαι, ἵν' ἀρχαί τε καὶ εἰςφοραὶ καὶ διανομαί τὴν τῆς ἀξίας ἑκάστοις τιμὴν μὴ κατ' ἀρετὴν μόνον . . . ἀλλ' καὶ κατὰ πλούτου χρῆσιν καὶ πενίας τὰς τιμάς τε καὶ ἀρχὰς ὡς ἰσαίτατα τῷ ἀνίσω ξυμμέτρῳ δὲ ἀπολαμβάνοντες μὴ διαφέρωνται.* Ceterum notandus est ridiculus error, quo et Ficinus et Astius ex Legg. VI, p. 754 D colligere sibi visi sunt, primae classis censum quatuor minis, secundae tribus, tertiae duabus, quartae una mina Platonem circumscripsisse, licet supra (V, p. 744 E) aperte quadruplum aut triplum aut duplum legitimi patrimonii posuisset; mirum profecto foret eum, cui plus quam quatuor minas habere non liceret, duodecim mulctari (XII, p. 945 A) vel sepulturae quinque minas impendere posse (p. 959 D)! Illo vero loco nihil aliud sancitur, nisi ut tot minas quot diximus singulis ultra quam publice professi sint impune habere liceat; quod quum aequissimum videatur, haud scio an ipsum ex Solonis re publica depromtum haberi possit. Sumtuarias quoque leges veri simile est Athenis similem census rationem habuisse, ac Platonem non modo in sepulturis verum etiam in nuptiis circumscribendis (VI, p. 775 A) habere videmus; mulctas autem constat certe interdum, quod diligenter Plato servat (VI, p. 774 A; IX, p. 880 D; XI, p. 934 D; XII, p. 945 A) pro census modo irrogatas esse; cf. Isaeus de Nicostr. hered. §. 11: *κατὰ τὸ τέλος ζημιοῦσθαι:* Demosth. adv. Macart. p. 1076. 20: *ἐπιβάλλειν κατὰ τὸ τέλος.*

138) Legg. V, p. 745 E.

139) Ibid. p. 746 D: *φρατρίας καὶ δήμους καὶ κώμας,* quorum extrema duo vocabula unum idemque genus significant; cf. Aristot. Poëtic. III, 6: *οὗτοι μὲν γὰρ κώμας τὰς περιοικίδας καλεῖν φασὶν, Ἀθηναῖοι δὲ δήμους:* neque a patrio more Platonem discessisse apparet ex Legg. VI, p. 753 C: *τοὔνομα πατρόθεν καὶ φυλῆς καὶ δήμου ὅθεν ἂν δημοτεύηται.* Phratriis quoque idem injungit quod Athenis, ut civium nomina secundum annos natales in albo perscripta habeant; cf. VI, p. 785 A.

dividit[140], quibus nihil aptius ad prytanum Atticorum munia illustranda inveniri potest. Duodecimam enim senatorum partem singulis mensibus civitati praesidere jubet, ut semper praesto sint, qui aut peregre advenientibus aut in ipsa urbe degentibus operam suam commodare nunciosque accipere et responsa dare publice possint, simulque caveant, ne quid novarum rerum oriatur ortumve ut quam celerrime exstinguatur; praeterea hoc quoque illis tribuit, ut conciones et advocent et dimittant, atque omnia curent, quae in rebus subitis pro tempore fieri publica salus postulet; denique una cum reliquis magistratibus custodiam urbis agitent; quorum nihil est, quod non eodem jure prytanibus Atticis et si qui praeterea in aliis Graeciae civitatibus inveniuntur tribuamus[141]. Neque illud pro arbitrio constituisse Plato videtur, ne quis tricenario minor magistratum gereret[142]; senatoriae certe judiciariaeque potestatis vel Athenis eum terminum fuisse constat[143], neque omnino antiquitus ante hanc aetatem ad rem publicam accedere licuisse, Lacedaemoniorum exemplum suadet, apud quos juniores ne concionibus quidem intererant[144]; vicesimus annus, quem florentibus Atheniensium rebus haud raro etiam rei

---

140) Legg. VI, 758 C. Ipso *πρυτάνεων* ,nomine utitur et antea p. 755 E et infra p. 766 B et XII, p. 953 C.

141) Cf. Lehrbuch cit. §. 127, n. 10—12.

142) Legg. VI, p. 785 B.

143) In aliis ambiguum esse significavi in Lehrbuch cit. §. 148, n. 6.

144) Lehrbuch §. 25, n. 6.

publicae gerendae primum fuisse videmus [145], haud scio an initio militaris tantum aetatis, ut apud Lacedaemonios et Platonem [146], principium fuerit. Choris utique puerorum et puellarum quod minorem quadragenario praeesse vetat [147], quanquam diversa choregiae ratione, aetatis termino prorsus Solonium habemus [148]; alia causa est nomophylacum, quos minimum quinquagenarios esse jubet [149]; qui quum Solonis ex legibus praeter Areopagitas nulli sint [150], aut

---

145) Cf. Schömann de comitiis Athen. p. 105 sq.

146) Legg. VI, p. 785 B: *πρὸς πόλεμον δὲ* (scilicet *ὅρον εἶναι*) *ἀνδρὶ μὲν εἴκοσι μέχρι τῶν ἑξήκοντα ἐτῶν*: quibus terminis apud Athenienses quoque militarem aetatem inclusam fuisse docent quos laudat Voemel ad Demosth. Olynth. III, p. 115. Quanquam hunc communem Graecorum omnium morem fuisse facile patior: propius ad patrium usum et loquendi rationem accedit Legg. XII, p. 943 A, ubi inter milites distinguit *τὸν καταλεγέντα ἢ τὸν ἐν μέρει τινὶ τεταγμένον*: quo de discrimine v. quae disseruit Boeckhius in Ind. Lectt. Berol. 1819—20 et quos praeterea laudavi in Lehrbuch cit. §. 152, n. 12.

147) Legg. VI, p. 764 E.

148) Aeschin. adv. Timarch. §. 12: *οἱ δὲ χορηγοὶ οἱ καθιστάμενοι ὑπὸ τοῦ δήμου ἔστωσαν τὴν ἡλικίαν ὑπὲρ τετταράκοντα ἔτη.*

149) Legg. VI, p. 755 A.

150) Commemorantur quidem etiam Atheniensium *νομοφύλακες* apud lexicographos, de quibus singularis disputatio exstat Mückii, Vitemb. 1754. 4; eosque ipsius Platonis usu inductus Schneiderus ad Aristot. Politic. p. 392, quum is magistratus statui populari plane contrarius sit, neque in oratoribus Atticis, quorum orationes hodieque legamus, eorum mentio fiat, suspicatur cum Solonia re publica exolevisse; at contrarium jam intelligimus ex Lexico Rhetor. pone Phot. Pors. p. 674: *ἕπτα δὲ ἦσαν καὶ κατέστησαν, ὡς Φιλόχορος, ὅτε Ἐφιάλτης μόνα κατέλιπε τῇ ἐξ Ἀρείου πάγου βουλῇ τὰ περὶ τοῦ σώματος.* Novi utique egregios viros huic testimonio fidem praefracte negare, quorum nomina vide in Lehrbuch cit. §. 129, n. 15; at vero satis probabile est Ephialtem, ne una cum Areopagi auctoritate simul legum curam et respectum sustulisse videretur, hos quasi custodes legum instituisse, qui in concionibus assiderent prospicerentque, ne quid contra leges sciscerctur; qui tamen quum dicis causa instituti essent, parum diuturni fuisse restauratoque in Euclidis archontatu

aliunde petiti aut pro singulari civitatis suae indole ad principatum gerendum a Platone instituti sunt[151]; neque illud Athenis obtrudere licebit, quod septuagenarios magistratu se abdicare cogit, id quod nec ipse ad alios magistratus transtulit, nec Athenis obtinuisse Phocionis exemplum docet, quem vel octogenarium exercitui praefuisse constat[152]. Ea vero, quae ad militares duces pertinent, tam manifesto Attica sunt, ut eorum vestigia etiam longius quam per alios auctores liceat persequi audeamus; neque enim illud modo, quod aliunde constat, inde colligimus, hipparchos et phylarchos equitum duces, taxiarchosque qui singulis peditum tribubus praeessent, impe-

---

Areopagitico consilio prorsus interiisse videntur, ut nihil mirum sit eos apud Aesch. adv. Ctesiph. init. non commemorari; nam quos postea Demetrius Phalerensis pro undecimviris instituisse fertur, et numero et potestate longe alieni sunt.

151) Non desunt nomophylacum exempla apud alias Graeciae civitates, ut Eleos (Paus. VI, 24. 3), Corcyraeos (Boeckh ad C. Inscr. T. II, p. 24), etiam Lacedaemonios (Paus. III, 11. 2; Boeckh T. I, p. 609); sed de forma ac potestate ejus magistratus apud singulos tam parum constat, ut quantum illinc Plato petierit decerni prorsus non possit; nam quod Ullrichius in diss. de Undecimviris (Vier platon. Gespräche, deutsch mit Anmerkungen, Berlin 1821. 8) p. 263, ubi alioquin accurate de hoc argumento disputat, Cretam nos remittit, circulum in concludendo facit mirumque profecto foret nomophylacas Cretensium, si tantam quantam apud Platonem potestatem habuissent, in tanta illius rei publicae luce nusquam praeterea commemorari! Illud tantum ex veterum testimoniis in universum intelligimus, *εὐνομίας* signum eum magistratum fuisse (Xenoph. Oeconom. IX, 14) et aristocratiae imprimis convenire visum esse; ut Aristoteli Politic. VI, 5. 13: *τριῶν δ' οὐσῶν ἀρχῶν, ἃς αἱροῦνταί τινες ἀρχὰς τὰς κυρίους . . οἱ μὲν νομοφύλακες ἀριστοκρατικὸν, ὀλιγαρχικὸν δ' οἱ πρόβουλοι, βουλὴ δὲ δημοτικόν:* cf. IV, 11. 9: *ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις ἢ προαιρεῖσθαί τινας ἐκ τοῦ πλήθους ἢ κατασκευάσαι ἀρχεῖον, οἷον ἐν ἐνίαις πολιτείαις ἐστίν, οὓς καλοῦσι προβούλους καὶ νομοφύλακας, καὶ περὶ τούτων χρηματίζειν, περὶ ὧν ἂν οὗτοι προβουλεύσωσιν.*

152) Cf. Plut. V. Phocion. c. 24.

ratoribus quasi ministros belli gerendi additos esse[153]), verum etiam ipsum creandi modum haud scio an accuratius hinc quam aliunde cognoscamus[154]): ut primum quidem a magistratibus, qui comitia haberent, candidatorum nomina proposita sint, deinde vero cuivis licuerit jure jurando interposito singulorum in locum alios proponere, ejusque rei penes populum dijudicatio fuerit, tum demum, ubi candidati consensu omnium designati essent, sublatis manibus certus numerus electus sit; in quo neminem arbitror, qui interiorem rei publicae Atheniensium notitiam imbiberit, insignem cum aliis ejusdem institutis similitudinem fugere posse. Unum tantum apud Platonem ab Atheniensium usu recedere videtur, quod taxiarchos a solis peditibus, hipparchos ab equitibus, inspectante tantum reliquo exercitu, creari jubet[155]), quod Athenis ab universo populo factum esse constat; illud autem his quoque tribuere non dubitamus, confirmarique Platonis auctoritate arbitramur quod ipsi olim conjecimus, reliquos duces, quorum minus momentum esset, imperatorum ipsorum arbitrio

---

153) Legg. VI, p. 755 B: cf. Poll. onom. VIII, 87 et 94.

154) Cf. Schömann de comitiis p. 328, qui etsi nostri ipsius loci meminit, tamen ne verbum quidem fecit de ἀντιπροβολῇ et προχειροτονίᾳ, quae omnium maxime nos advertit. Illud tantum Boeckhius in Ind. Lectt. Berol. 1830 p. 6 scite ex nostro loco collegit, αἵρεσιν et χειροτονίαν nullo discrimine apud veteres dictas esse; cf. Lehrbuch §. 149, n. 1.

155) Legg. VI, p. 756 A, ubi mirum est neminem vidisse, quam absurde paulo ante edi soleat χειροτονούντων δὲ στρατηγοὺς μὲν καὶ ἱππάρχους πάντες, quum ibi de strategis tantum sermo esse possit; ἱππάρχων enim, mox subjungit, κατάστασις ἡμῖν ἔτι λοιπὴ γίγνοιτο, eosque longe aliis creandos attribuit!

constitutos esse [156]. Creationem magistratuum sequitur probatio, quam ut in omnibus Plato postulat [157], ita in paucis tantum accuratius definit, ita ut idem in illa quod Athenienses secutus esse videatur [158]; in sacerdotibus certe, ubi propius eam describit [159], nihil sancit, quod non pariter etiam apud omnes Graecos obtinuerit [160]; illud tantum memorabile est, quum in plerisque et gravissimis magistratibus hoc vulgo non quaesitum esse constet [161], quod in athlothetis certaminumque musicorum praesidibus probandis illud quoque quaeri jubet, num earum rerum gnari et periti sint [162]; quos tamen quum Athenis quoque non ut reliquos sorte ductos sed viritim creatos esse videamus [163], non est cur hoc et ipsum ex patriis eum institutis petiisse negemus. Aedilium quoque tam oppidanorum

---

156) Ibidem: *ψιλῶν δὲ ἢ τοξοτῶν ἤ τινος ἄλλου τῶν ἐμπολεμίων ἡγεμόνας οἱ στρατηγοὶ ἑαυτοῖς καθιστάντων:* cf. Lehrbuch prim. edit. §. 152: *die Befehliger dieser ernannten wohl die Feldherren.*

157) Legg. VI, p. 753 D; 754 D; 755 D; 760 A etc.

158) Cf. Lehrbuch §. 148, n. 2. Illud quoque patrium, quod sancit p. 765 C: *ἐὰν δέ τις ἀποδοκιμασθῇ καθ' ἡντιναοῦν ἀρχῆς λῆξιν καὶ κρίσιν, ἄλλους ἀνθαιρεῖσθαι κατὰ ταὐτὰ καὶ τὴν δοκιμασίαν ὡσαύτως αὐτῶν πέρι ποιεῖσθαι:* cf. Harpocr. p. 117.

159) Legg. VI, p. 759 C.

160) Cf. Spanheim. ad Callim. Lavacr. Pallad. v. 121 et Wesseling. ad Petiti Legg. Att. I, 2, 12, p. 170. Aetas tantum impar, quam Plato sexaginta annis minorem esse vetat. De exegetis, quos sacerdotibus subjungit, v. Müller ad Aesch. Eumen. p. 163.

161) Cf. de jure et auctor. magistr. p. 6 sq.

162) Legg. VI, p. 765 B.

163) Plut. Pericl. c. 13; cf. Lehrbuch §. 150, n. 3.

quam forensium negotia vix aliter nobis Athenis informare possumus, quam a Platone in legibus suis describuntur [164]: qua in causa illud imprimis nos advertit, quanta cum diligentia utriusque generis provinciae distinguantur, ut eadem crimina, si in foro commissa sint, quasi in altero oppido non astynomorum sed agoranomorum cognitioni tradantur [165], iidem tamen gravioribus in causis una judicare jubeantur [166]; quod etiam si forte Athenis secus fuerit, utrosque tamen eodem quo apud Platonem mulctae irrogandae jure usos esse merito nobis conjicere videmur. Nam hoc quoque Plato ex antiquo et communi Graecorum more petiit, quod omnem magistratum simul etiam aliquid judiciariae potestatis habere ait [167]; cujus etsi apud Athenienses rara tantum et singularia exempla exstant, tamen non desunt indicia, unde colligamus, in disciplina publica tuenda coërcendisque hominibus contumacibus vel turbulentis pro sui cuique muneris finibus et natura mulctas irrogare licuisse [168]. Juris autem

164) Legg. VI, p. 759 A et 763 E; cf. VIII, p. 849 et XI, p. 917 E, ubi prudenter Stephanus correxit *πρόσθε τοῦ ἀγορανομίου* pro *ἀγορανόμου*: cf. Jacobs. Animadv. ad Anthol. Gr. T. III, P. 3, p. 53. De Atheniensium *ἀστυνόμοις* et *ἀγορανόμοις* quae constant, vide apud Schubertum de Aedilibus p. 87 sqq. et quos praeterea laudavi in Lehrbuch cit. §. 150, n. 7–10.

165) Legg. IX, p. 881 C; XI, p. 913 E et 936 C.

166) Ibid. VI, p. 764 B: *ἐὰν δ' ἐπιχώριός τις περὶ τὰ τοιαῦτα ἀκοσμῇ, μέχρι μὲν ἑκατὸν δραχμῶν νομίσματος αὐτοὺς εἶναι κυρίους δικάζοντας, μέχρι δὲ διπλασίου τούτου κοινῇ μετ' ἀστυνόμων ζημιοῦν δικάζοντας τῷ ἀδικοῦντι.*

167) Legg. VI, p. 767 A: *πάντα ἄρχοντα ἀναγκαῖον καὶ δικαστὴν εἶναι τινῶν*: cf. de jure et auctor. magistr. p. 54 sqq.

168) Cf. Lehrbuch §. 137, n. 10.

litigantibus dicendi facultatem Plato quoque raro māgistrātibus permittit, atque haud scio an ita tantum, ubi peregrinorum inquilinorumve causae agantur[169]; unos excipio ruris praesides sive *ἀγρονόμους* eorumque praefectos *φρουράρχους*[170], quibus non modo eandem in agris quam aedilibus in urbe potestatem tribuit, verum etiam illud injungit, ut levioribus in causis ac de rebus agrariis inter rusticos jus dicant[171]; quod tamen quum in Lacedaemoniorum *κρυπτοὺς*, unde plurima in illos contulit, cadere non videatur, vide ne et ipsum ab Atheniensium quadragintaviris repetitum sit, quos simili munere et potestate juris dicendi causa pagos circuisse constat[172]. Reliqua utique *ἀγρονόμων* munera nihil ad hos pertinent, quorum adeo non-

---

169) Ut v. c. Legg. XII, p. 953 B: *δικαστὰς δ' αὐτοῖς εἶναι τοὺς ἱερέας, ἐὰν ἀδικῇ τις αὐτῶν τινὰ ἢ τιν' ἄλλων ἀδικῇ τις τούτων, ὅσα ἐντὸς δραχμῶν πεντήκοντα· ἐὰν δέ τι μεῖζον ἔγκλημα αὐτοῖς γίγνηται, πρὸς τοῖς ἀγορανόμοις εἶναι δεῖ δίκας τοῖς τοιούτοις.* Anceps quaestio est l. IX, p. 880 D, ubi strategi ceterique militiae duces judicare jubentur de vi manibus illata, sed ut ambiguum sit, num hoc ad omnes ejus generis lites an ad *ξένους* tantum et *μετοίκους* pertineat, quorum proxime mentio antecedit; quod si recte statuimus, hic quoque aliquam similitudinem cum Atheniensium re publica deprehendimus, ubi *πολέμαρχον* jus dixisse inter peregrinos constat.

170) Legg. VI, p. 760 sqq.; cf. Timaei Lex. Platon. p. 14: *ἀγρονόμοι οἱ τοὺς ἀγροὺς ἐπιφοιτῶντες ἄρχοντες.* Ejusdem nominis magistratus commemorat etiam Aristoteles Pol. VI, 5. 4, eosque apud alios etiam *ὑλωροὺς* appellari narrat; vix tamen arbitror usquam eorum officia tam late patuisse quam apud Platonem patent.

171) Legg. VI, p. 761 E: *γειτόνων δὲ καὶ τῶν ἄλλων πολιτῶν ἣν ἄλλος ἄλλον ἀδικῇ, δοῦλος ἢ ἐλεύθερος, δικάζοντας τῷ ἀδικεῖσθαι φάσκοντι, τὰ μὲν σμικρὰ αὐτοὺς τοὺς πέντε ἄρχοντας, τὰ δὲ μείζονα μετὰ τῶν δώδεκα τοὺς ἑπτακαίδεκα δικάζειν μέχρι τριῶν μνῶν*; cf. et VIII, p. 843 D et IX, p. 873 E.

172) Cf. Lehrbuch §. 146, n. 10.

nulla potius demarchis Atheniensium convenire videntur [173]; illud tamen, quod initio monui, hinc quoque patet, Platonem etiam sicubi patriae suae instituta prorsus deseruisse atque in alia omnia digressus esse videatur, tamen in singulis identidem illuc reverti et quidquid in illis recti bonique invenerit, quamvis diverso loco et mutata passim externa forma legibus suis inserere.

V.

Quod idem in ipsa re judiciaria apparet, quae licet in multis gravissimisque rebus prorsus ab Atheniensium usu forensi abhorreat [174], tamen nonnulla habet, in quibus philosophus non minus patriae memor fuisse videatur, quam nobis legentibus Atticorum intitutorum recordatio occurrat. Atque id ipsum, quod quasi gradus quosdam judiciorum facit [175], Athenas nos remittit, ubi et primum omnium provocandi solatium originem habuisse videtur [176], et postea

173) Quid quod nomine quoque propius ad eos accedere videri possint, si quidem p. 770 B vulgo legitur *πέντε οἷον ἀγρονόμους καὶ φυλάρχους:* vix tamen dubito quin ibi potius ut in sequentibus scribendum sit *φρουράρχους*, cujus confusionis aliud exemplum proposui in disp. de Equitt. Att. p. 18, n. 49.

174) Cf. acerrimam reprehensionem, qua procul dubio turbulentam Atticorum judiciorum licentiam persequitur, IX, p. 876 B.

175) Legg. VI, p. 767 B; XII, p. 956 C.

176) Cf. Des. Heraldus de rerum judicatarum auctoritate I, c. 3 et Quaestt. de jure et auctor. magistr. p. 62.

quoque, quum Heliastae, qui ipsi olim a Solone provocationum tantum causa instituti erant [177], solemni more omnes causas a magistratibus judicandas acciperent, tamen ne statim in supremo judicio periclitandum esset, arbitri constituti sunt, qui licet initio inter volentes tantum jus dixisse videantur, adeo paulatim invaluerunt, ut fere nihil prius ad Heliastas quam ad arbitros deferretur [178]; neque alios Platoni ante oculos fuisse, ipso *διαιτητῶν* nomine apparet, quo in primo judicum gradu designando identidem utitur [179]. Reliqua satis diversa esse facile concedo; neque enim aut illud Atticum est, quod arbitros hos, quos in primo gradu constituit, compromissarios esse vult, unde Athenis provocationem nullam fuisse constat [180], aut illud, quod sorte creatos ex tribulibus, qui secundum gradum tenent, tot numero esse jubet, ut omnes in aliquam judicandi partem veniant [181]; summum denique gradum tantum abest ut populari judicio tribuat, ut selectos ex omnibus magistratibus constituat, quos pro humani

---

177) Plut. V. Solon. c. 18: *καὶ γὰρ ὅσα ταῖς ἀρχαῖς ἔταξε κρίνειν, ὁμοίως καὶ περὶ ἐκείνων εἰς τὸ δικαστήριον ἔφεσιν ἔδωκε τοῖς βουλομένοις.*

178) Lex. Rhetor. pone Phot. Pors. p. 673: *δεῖ γὰρ τοὺς ὑπὲρ δέκα δραχμῶν ἀμφισβητοῦντας διαιτητὰς δέκα ἔτη* **(fort.** *ἑκάστοτε***)** *λαμβάνειν· διὸ καὶ ἔκειτο νόμος μὴ εἰςάγεσθαι δίκην, εἰ μὴ πρότερον παρ' αὐτοῖς ἐξετασθείη τὸ πρᾶγμα:* **cf. Poll. Onom. VIII, 126:** *πάλαι οὐδεμία δίκη πρὶν ἐπὶ διαιτητὰς ἐλθεῖν εἰςήγετο.*

179) Legg. XII, p. 956 C: *διαιτηταὶ δικαστῶν τοὔνομα μᾶλλον πρέπον ἔχοντες;* **cf. XI, p. 920 D.**

180) Cf. quae disserui in prooemio Ind. Lectt. Marburg. 1833—34.

181) Legg. VI, p. 768 B: *δεῖ δὴ καὶ τῶν ἰδίων δικῶν κατὰ δύναμιν κοινωνεῖν ἅπαντας . . . διὰ ταῦτ' οὖν δὴ καὶ κατὰ φυλὰς ἀναγκαῖον δικαστήριά τε γίγνεσθαι καὶ κλήρῳ δικαστὰς κ. τ. λ.*

generis fortuna omnium minime corruptioni obnoxios fore spondet[182]; veruntamen haec omnia ad privatas tantum causas spectant; publicarum et ipse, quod Athenis in majestatis criminibus factum esse constat[183], principium et finem penes populum esse jubet[184], quaesitoribus tantum tribus ex summis magistratibus, de quibus accusatori cum reo convenerit, ad temperandam plebis ferociam interpositis; capitales autem causas, de quibus Athenis Areopagum judicasse scimus, selectis illis una cum nomophylacibus attribuit[185], quorum alteros supra vidimus proxime ad cetera Areopagitarum munera, quae Athenis fuerint, accessisse, alteri, quamvis quotannis repetita creatione, tamen hoc cum illis commune habent, ut ex superioris anni magistratibus, probatione superata, in illud fastigium evehantur[186]. Multa sane etiam hic novavit, quae quum manum emendatricem satis aperte prodant, neque Athenas neque in aliam civitatem Graecam transferri debent; formam quoque horum judi-

---

182) Hoc est quod identidem appellat *τὸ τῶν ἐκκρίτων* sive *ἐκλεκτῶν δικαστήριον*: cf. XI, p. 926 D; 928 B; 938 B; XII, p. 946 D; 948 A.

183) Xenoph. Hellen. I, 7. 21: *ὅτι τὸ Κανώνου ψήφισμά ἐστιν ἰσχυρότατον, ὃ κελεύει, ἐάν τις τὸν τῶν Ἀθηναίων δῆμον ἀδικῇ, δεδεμένον ἀποδικεῖν ἐν τῷ δήμῳ, καὶ ἐὰν καταγνωσθῇ ἀδικεῖν, ἀποθανόντα ἐς τὸ βάραθρον ἐμβληθῆναι*: cf. Platner's Process und Klagen bei den Attikern T. I, p. 372 sqq.

184) Legg. VI, p. 768 A.

185) Ibid. IX, p. 855 C; 871 D; 877 B.

186) Ibid. VI, p. 767 D: cf. IX, p. 855 C: *τὸ τῶν περυσινῶν ἀρχόντων ἀριστίνδην ἀπομερισθὲν δικαστήριον.*

ciorum, quamvis antiqua religione consecratam[187], passim mutavit; et primum quidem *διωμοσίαν*[188] omisit, quam licet Rhadamanthys instituisse traderetur, ex omni judiciorum genere funditus sustulit[189]; deinde singulas tantum utrique parti orationes reliquit, quum Athenis binae essent adeoque post priorem etiam solum vertere reo liceret[190]; postremo suffragia aperte ferri jussit, quod num in Areopagitas quoque cadat, ambiguum videri potest[191]; accuratius tamen re exacta ne in tanta quidem diversitate desunt, quae non modo comparationi instituendae, verum etiam illustrandae judicii Areopagitici formae adhibere liceat. Mitto coronam populi, quam et Plato admitti jubet[192]

---

187) Cf. Petit. Legg. Att. VII. 1, p. 504 sqq.; Matthiae Miscell. Philoll. T. I, p. 159 sqq.; Müller ad Aeschyl. Eumen. p. 151 sqq.

188) Cf. Antiph. de Choreuta §. 16 et de Herodis caede §. 11; Demosth. adv. Aristocr. p. 642. 11 et adv. Neaeram p. 1348. 15.

189) Legg. XII, p. 948.

190) Demosth. adv. Aristocr. p. 643, 5; Poll. Onom. VIII, 117.

191) Quaeritur enim quid sit *φανερῶς ψηφίζεσθαι*: quod si illud tantum dicitur, quod apud Lysiam legimus adv. Agorat. §. 37: *τὴν δὲ ψῆφον οὐκ εἰς καδίσκους, ἀλλὰ φανερὰν ἐπὶ τὰς τραπέζας ταύτας ἔδει τίθεσθαι*, in Areopagum non cadit, quem *καδίσκοις* uti jam apud Aeschylum Eumen. v. 712 videmus; itaque statuerunt Schömann Att. Process p. 722 et Müller ad Eumen. p. 161; scite tamen animadvertit Rossius in Seebode's u. Jahn's Archiv für Philologie T. I, p. 357, hunc quoque suffragiorum ferendorum modum apertum dici posse, si quidem duabus urnis constitutis appareat, in utram quis calculum suum conjiciat. Postea demum, quum duo calculi darentur, quorum alter absolveret, alter condemnaret, dici poterat, quod Plato ait p. 876 B: *δικαστήρια φαῦλα καὶ ἄφωνα κλέπτοντα τὰς αὐτῶν δόξας κρυβδὴν τὰς κρίσεις διαδικάζει*: quod tamen num etiam ad Areopagitas transierit, decerni nequit; hoc certe, quod Plato adjungit p. 856 A: *ψῆφον ἱερὰν ἕκαστον φέροντα . . . οὕτω τέλος ἐπιθεῖναι τῇ τοιαύτῃ δίκῃ*, Demosthenis etiam aetate obtinuit; cf. pro Cor. p. 271, 27: *καὶ ταῦτα ἀπὸ τοῦ βωμοῦ φέρουσα τὴν ψῆφον ἔπραξε.*

192) Legg. IX, p. 855 D; cf. et VI, p. 767 E.

neque Athenis exclusam esse veri simile est [193]; Demosthenis enim locus [194], qui Areopagitas ait in regia porticu remotis arbitris consedisse, judicium, quod in Martio colle haberi necesse erat, spectare nequit nec nisi ad inquisitiones pertinere videtur, quas illi consilio interdum a populo mandatas esse constat; verum longe gravius est, quod Platoni cum Areopago convenit de triduo, quod judices causae ab omni parte cognoscendae atque identidem examinandae impendere jubet [195]; similem utique apud Lacedaemonios cautionem deprehendimus, ne de capite hominis nisi pluribus deinceps diebus causa cognita statueretur [196]; nec dubitamus quin vere antiquum

193) Cf. Matthiae l. l. p. 167; quem tamen nollem Antiphontis locum de Choreuta §. 14 adhibuisse; illa enim oratio non in Areopago, sed in *βουλεύσεως* judicio apud Palladium habita est; cf. Forchhammer de Areopago p. 29.

194) Demosth. adv. Aristog. p. 776. 20: *τὸ τὴν ἐξ Ἀρείου πάγου βουλήν, ὅταν ἐν τῇ βασιλείῳ στοᾷ καθεζομένη περισχοινίσηται, κατὰ πολλὴν ἡσυχίαν ἐφ' ἑαυτῆς εἶναι καὶ ἅπαντας ἐκποδὼν ὑποχωρεῖν:* quo loco Meursius Areop. c. 8 abusus est ad secretos Areopagitici judicii consessus demonstrandos. Et huic quidem Matthiae l. l. quod obloquitur, recte fecit; ipse tamen dupliciter lapsus est, quum judicii mentione servata, *περισχοινισμὸν* illum ad multitudinem a subselliis judicum arcendam tantum, non omnino amovendam valere diceret; nam quod eadem illius quam *κιγκλίδος* in senatu quingentorum vim esse monet, ipsam *κιγκλίδα* non cancellos (*δρυφάκτους*) sed januam clatratam esse docuit Fritzschius de Aristoph. Daetal. p. 121 sqq.

195) Legg. IX, p. 856 A; cf. Lysiam adv. Andoc. §. 14, quibus verbis *ἀνάκρισιν* illam Areopagitarum satis clare indicari arbitror: *καίτοι καὶ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ, ἐν τῷ σεμνοτάτῳ καὶ δικαιοτάτῳ δικαστηρίῳ, ὁμολογῶν μὲν ἀδικεῖν ἀποθνήσκει, ἐὰν δὲ ἀμφισβητῇ, ἐλέγχεται, καὶ πολλοὶ οὐδ' ἔδοξαν ἀδικεῖν.* Triduo autem Areopagum judicasse docet Pollux Onom. VIII, 117: *καθ' ἕκαστον δὲ μῆνα τριῶν ἡμερῶν ἐδίκαζον ἐφεξῆς, τετάρτῃ φθίνοντος, τρίτῃ, δευτέρᾳ.*

196) Plut. Apophth. Lacc. T. VIII, p. 196 Hutt.: *ἐρωτῶντος δέ τινος, διὰ τί τὰς περὶ τοῦ θανάτου δίκας πλείοσιν ἡμέραις οἱ γέροντες κρίνουσι . . πολλαῖς μέν, ἔφη, ἡμέραις κρίνουσιν, ὅτι περὶ θανάτου τοῖς διαμαρτάνουσιν οὐκ ἔστι μεταβουλεύσασθαι.*

morem Plato servaverit, qui Areopagi quoque gravitatem apprime deceat. Quae si recte disputavimus, vel hac in parte, ubi plurima discrepant, Platonis leges non sine fructu cum institutis Atticis comparabuntur; ipsas autem homicidiorum religiones ex antiquissimo jure patrio in suum ita transtulit, ut nihil opportunius ad illustranda illius vestigia inveniri posse videatur. Nam et necessariis, qui genere proximi essent, prisco more caedem judicio persequendam [197] reliquit, et ei qui hominem interemisset, noto pariter ignotoque, locis sacris publicisque omnibus interdixit [198], eundemque, si judicium subire noluisset, capitali poena proposita, in perpetuum universa mortui patria prohibuit [199]; bruta quoque resque inanimas, quae mortis causam homini praebuissent, extra fines projici jussit [200]; furem tantum nocturnum grassatoremque vel eum qui aut ipsi aut parentibus, liberis, fratri, sorori, conjugive vim inferre tentaret, impune ac sine piaculo interfici permisit [201]; sin quis imprudens innocentem occidisset, exsilium praestituit, unde nisi certo tempore

---

197) Legg. IX, p. 866 A: ὁ τοῦ τελευτήσαντος γένει ἐγγύτατα, ἐπίσκοπος ὢν τούτων πάντων γενομένων: cf. p. 871 B: ἐντὸς ἀνεψιότητος, ut est in lege apud Demosth. adv. Macart. p. 1068 ult. Plura dabunt Müller ad Aesch. Eumen. p. 126 et Meier de gentil. Att. p. 18.

198) Legg. IX, p. 871 A et 874 B; cf. Ast p. 455.

199) Ibid. IX, p. 871 D; cf. Demosth. Mid. p. 528.

200) Ibid. IX, p. 873 E; cf. Kühn ad Polluc. Onom. VIII, 120.

201) Ibid. IX, p. 869 D et 874 B, ubi vid. Ast p. 461. Hanc quoque legem Rhadamanthyi tribuit Apollodor. Bibl. II, 4, 9: ὃς ἂν ἀμύνηται τὸν χειρῶν ἀδίκων ἄρξαντα, ἀθῷον εἶναι.

praeterlapso volentibusque occisi necessariis non rediret [202], quae omnia Solonis Draconisve in legibus fere ad verbum eadem inveniuntur; illa quoque ex jure Attico petita sunt, ut caedis reus, nisi tres vades constituerit, in vincula conjiciatur [203], ut exsulem, qui homicidii causa in perpetuum relegatus sit, si redierit, cuivis occidere liceat [204], ut medico impune sit hominem interfecisse [205]; nec desunt, quae etsi certis testimoniis careant, tamen eodem referre jure nostro audeamus. Atque ad Areopagum quidem pertinet, quod homicidam supplicio affectum iisdem cum occiso finibus sepeliri vetat [206], ad Ephetarum autem judicia, quod de iis statuit, qui in certaminibus exercitationibusve gymnasticis et militaribus occubuerint, ut si jumentum mortis causa exstiterit, impune sit, sin homo, poena quidem liberetur, lustratione tamen indigeat, qua iis, qui se suosve a vi defenderint, opus esse negat [207]; illud etiam judicium, quod in Phreatto habitum esse traditur de iis, qui quum homicidii causa solum vertissent, nondum

---

202) Ibid. IX, p. 865 E; cf. Demosth. adv. Aristocr. p. 644.

203) Ibid. IX, p. 871 E; cf. jusjurandum senatorium apud Demosth. adv. Timocr. p. 745, 11: *οὐδὲ δήσω Ἀθηναίων οὐδένα, ὃς ἂν ἐγγυητὰς τρεῖς καθιστῇ τὸ αὐτὸ τέλος τελοῦντας*: et quae praeterea attuli in Lehrbuch cit. §. 137, n. 2.

204) Ibid. IX, p. 871 D; cf. Demosth. adv. Aristocr. p. 629. 20: *τοὺς δ'ἀνδροφόνους ἐξεῖναι ἀποκτείνειν ἐν τῇ ἡμεδαπῇ καὶ ἀπάγειν*, quibuscum recte nostra comparat Wesseling ad Petiti Legg. p. 610.

205) Ibid. IX, p. 865 B; cf. Antipho Tetral. III, 3, §. 5: *εἰ δέ τοι καὶ ὑπὸ τοῦ ἰατροῦ ἀπέθανεν, ὁ μὲν ἰατρὸς οὐ φονεὺς αὐτοῦ ἐστιν, ὁ γὰρ νόμος ἀπολύει αὐτόν.*

206) Ibid. IX, p. 871 D: *ὁ δὲ ὀφλὼν θανάτῳ ζημιούσθω καὶ μὴ ἐν τῇ τοῦ παθόντος χώρᾳ θαπτέσθω.*

207) Ibid. p. 865 B: *καθαρθεὶς κατὰ τὸν ἐκ Δελφῶν κομισθέντα νόμον ἔστω καθαρός*: in illis

venia impetrata iterum rei capitalis accusarentur [208], nulla re magis illustratur, quam eo quod Plato in universum ejusmodi homines cavere jubet ne, si aliqua necessitate ad oram patriam referantur, terram tangant, sed in ipso mari tugurio posito exspectent, donec abire liceat [209]; postremo ea, quae a nonnullis mediocris fidei auctoribus de annuo exsilii tempore his ipsis hominibus praestituto traduntur [210], ipsius testimonio haud minimam confirmationem acci-

contra, quae not. 201 laudavimus, legitur: *ἀμυνάμενος ἄρχοντα χειρῶν πρότερον καθάπερ πολέμιον ἀποκτείνας ἔστω καθαρὸς*, et: *κτείνας τὸν βιαζόμενον ἔστω καθαρὸς ἐν τῷ νόμῳ.* Lex apud Demosth. adv. Aristocr. p. 637, quoniam de poena tantum loquitur, utrumque comprehendit: *ἐάν τις ἀποκτείνῃ ἐν ἄθλοις ἄκων . . . ἢ ἐπὶ δάμαρτι . . . τούτων ἕνεκα μὴ φεύγειν κτείναντα.* De jumentis v. p. 873 E.

208) Pollux Onom. VIII, 120: *ἦν δὲ ἐν Θαλάσσῃ τὸ δικαστήριον, καὶ τὸν ἐν αἰτίᾳ προσπλεύσαντα, τῆς γῆς οὐ προσαπτόμενον, ἀπὸ τῆς νεὼς ἐχρῆν ἀπολογεῖσθαι, μήτε ἀποβάθραν μήτε ἄγκυραν εἰς τὴν γῆν βαλλόμενον:* cf. Petiti Legg. p. 517.

209) Legg. IX, p. 866 C. D.

210) Scholiast. Eurip. Hippolyt. v. 35: *ἔθος γὰρ τοῖς ἐφ' αἵματι φεύγουσιν ἐνιαυτὸν ποιεῖν ἐκτὸς τῆς πατρίδος.* Tzetzes ad Lycophr. v. 1039: *νόμος ἦν τὸν ἐργασάμενον φόνον φεύγειν ὅλον ἐνιαυτὸν, μὴ ψαύοντα τῆς πατρίδος.* Hesychius T. I, p. 437: *ἀπενιαυτισμὸς ἡ εἰς ἐνιαυτὸν φυγὴ τοῖς φόνον δράσασιν:* cf. Bekk. Anecdd. p. 421. 20, qui tamen omnes non distincte de Attica loquuntur. Nam quod Petitus p. 513 etiam legem Atticam apud Demosth. adv. Aristocr. p. 643 extr. ita interpolavit, ut annuum tempus intruderet, eo temerius factum est, quod Demosthenes illic omnino non de exsilii tempore loquitur, sed de die praestituta, intra quam proficisci debeant: *τὸν ἁλόντα ἐπ' ἀκουσίῳ φόνῳ ἔν τισιν ὡρισμένοις χρόνοις ἀπελθεῖν ταχτὴν ὁδὸν καὶ φεύγειν, ἕως ἂν αἰδέσηταί τις τῶν ἐν γένει τοῦ πεπονθότος.* Tamen etiam Matthiae p. 169: *annum*, inquit, *patria carere lex erat.* Cautius Müller ad Aeschyl. Eumen. p. 128: *Wie es aber gehalten wurde, wenn die Verwandten es nicht für gut funden, ob dem Todtschläger die Heimath dann auf immer verschlossen blieb . . . darüber fehlt es an bestimmten Zeugnissen; Platon setzt die Frist eines Jahres für die Landesverweisung des unfreiwilligen Mörders fest*

pere videntur[211]. Quanquam hac in causa caute nos versari jubent ea quae eodem loco philosophus sancit, ut si quis ante diem praestitutam redeat, duplicem poenam patiatur[212], propinquos autem, qui hoc impune esse sinant, cuivis liceat ipsos reos facere et quinquennii exsilio mulctare[213]; quorum etiam prius Atticorum usui, qualem nos quidem novimus, non omnino respondet[214], alterum autem Athenis non magis factum esse constat, quam quod idem in lege de caede voluntaria permittit, ut si is, qui genere proximus sit, officio suo fungi caedemque ulcisci negligat, alienus quivis, servatis ceremoniis, quas deus accusatorem servare jusserit, et propinquo diem dicat et ipsum illum, qui caedem fecerit, judicio persequatur[215]. Nam ut concedamus legem nullam fuisse, quae alienum quoque actionem intendere percussori vetaret[216], hoc profecto claris veterum

---

211) Legg. IX, p. 865 E; cf. et p. 866 C et p. 869 E.

212) Legg. IX, p. 866 B; cf. p. 864 E: *ἐν δημοσίῳ δεθεὶς ὑπὸ τῶν νομοφυλάκων δύο ἐνιαυτοὺς οὕτως ἀπαλλαττέσθω τῶν δεσμῶν.*

213) Ibid. p. 866 B et p. 868 B.

214) Supplicio affectos esse, qui nulla venia accepta ex exsilio redirent, ex Demosth. adv. Aristocr. p. 636 haud immerito colligit Platner Process und Klagen T. I, p. 269; per *ἔνδειξιν* petitos esse certum est ex Poll. Onom. VIII, 49.

215) Legg. IX, p. 871.

216) Memorabilis locus est apud Demosth. adv. Everg. et Mnesib. p. 1160, ubi exegetae dissuadent quidem, ne alienae feminae caedem ulciscatur, *οὐδὲ γάρ ἐν τῷ νόμῳ ἐστὶ σοι· οὐ γάρ ἐστιν ἐν γένει σοι ἡ ἄνθρωπος οὐδὲ θεράπαινα:* addunt tamen: *χείρων τε δόξεις πολλοῖς εἶναι, κἂν μέν ἀποφύγῃ σε, ἐπιωρκηκέναι, ἐὰν δὲ ἕλῃς, φθονήσῃ*, unde apparere videtur, *εἰςαγώγιμον* certe ejusmodi *δίκην* fuisse, etiamsi ab alieno institueretur; noluisse tantum homines, nisi necessitudine cogerentur, ne *πολυπραγμοσύνης* invidiam incurrerent, cujus omnino ratio-

testimoniis efficitur, prorsus ab arbitrio propinquorum pependisse, si jure suo adversus auctorem caedis neglecto veniam ipsi dare vellent[217]. Ei tantum, qui voluntariae caedis convictus et condemnatus esset, ignosci potuisse nego[218]; hoc enim jam ad rem publicam pertinebat magistratuumque erat videre, ut poenam ille lueret; ipsam autem facinoris persecutionem qui omisisset, eive quem fortuitae caedis damnasset exsilium quando vellet condonaret, eum etsi quis piaculum commisisse fasque et pietatem infregisse censeret, tamen diis manibus puniendum relinquere debebat, judicio petere ut qui rem publicam laesisset non licebat[219]. Longe aliter Plato, qui adeo

---

nem in accusando habitam esse constat; cf. Lehrbuch §. 135, n. 3. Ceterum nec exempla desunt, de quibus vid. Meier's Att. Process p. 164.

217) Demosth. adv. Nausimach. p. 991: *καὶ τοῦθ' οὕτω τὸ δίκαιον ἐν πᾶσιν ἰσχύει, ὥστ' ἂν ἑλών τις ἀκουσίου φόνου καὶ σαφῶς ἐπιδείξας μὴ καθαρὸν μετὰ ταῦτα αἰδέσηται καὶ ἀφῇ, οὐκέτ' ἐκβαλεῖν κύριος τὸν αὐτόν ἐστι:* cf. eund. adv. Pantaenet. p. 984. 17 et plura apud Meier de bon. damnat. p. 22.

218) Cf. Müller ad Eumen. p. 127, qui recte in utroque Demosthenis loco vulgatam lectionem *ἀκουσίου* tuetur contra Reiskium et Bekkerum, qui ex uno codice *ἑκουσίου* scripserunt; quamvis enim concedam Meiero (de gentil. Att. p. 18; cf. censuram meam in Zimmermann's Zeitschr. f. d. Alterth. 1835, p. 1142) voluntariam quoque caedem remitti atque expiari licuisse, antequam de ea judicatum esset, tamen ne cum eo *ἀκουσίου ἢ ἑκουσίου* legam, efficit illud *ἑλών*, quod de peracto judicio agi ostendit; quod autem sequitur *ἀλλ' οὓς ἐκπίπτειν καὶ τεθνάναι προστάττουσιν οἱ νόμοι, τούτους, ἂν ἀφεθῶσιν ἅπαξ, ἁπάντων ἐκλύει τῶν δεινῶν τοῦτο τὸ ῥῆμα*, alterum quoque casum comprehendit, quem proxime attingemus, si ipse moriens percussori ignoverat; tum enim, ipso Platone teste (p. 869 A), quamvis voluntaria caedes pro *ἀκουσίῳ* habebatur.

219) Ei tantum, qui causam ad judices delatam deseruisset, mulctam irrogari potuisse videmus ex Aesch. F. L. §. 93, quod nollem Meierus ad sola vulnera restrinxisset; hoc enim omnibus judiciis publicis commune fuisse constat (Lehrb. §. 144.)

necessario exsilium annuum etiam fortuitam caedem sequi debere arbitrabatur, ut ne ei quidem illud remitteret, quem caesus ipse moriens culpa liberasset [220], cui Attico jure nihil amplius subeundum fuisse constat [221]; quod ubi recogito, veri simillimum est Platonem multa demum legibus firmasse, quae antiquorum legum latorum temporibus adeo solemnia usuque recepta fuissent, ut accuratiore sanctione, quam quae apud illos inveniatur, indigere non viderentur: ne propinqui caedem necessarii inultam sinerent, ut qui homicidium commisisset, quamvis imprudens tamen annum patria abstineret; quae etsi propinquorum arbitrio relinquerentur, tamen nemo erat qui aliter fieri posse exspectaret; Platonis demum aetate vel socordia hominum [222] vel ipsorum, qui damnati essent, impudentia [223] eo res pervenisse videtur, ut nisi severis legibus coërcerentur, piaculi discrimen in ipsam rem publicam redundaret. Unde illud etiam explicationem accipit, quod quum Attico more accusatoris demum

---

220) Legg. IX, p. 869 E: *ταὐτὸν τοῦτο ἔστω περὶ ἁπάσης τῶν τοιούτων ἀφέσεως, ἐὰν ὅςτιςοῦν ὁτῳοῦν ἀφῇ τοῦτο ἑκὼν, ὡς ἀκουσίου γεγονότος τοῦ φόνου οἵ τε καθαρμοὶ γιγνέσθωσαν τῷ δράσαντι καὶ ἐνιαυτὸς εἷς ἔστω τῆς ἐκδημίας ἐν νόμῳ.*

221) Demosth. adv. Pantaen. p. 983. 21: *οὐδὲ γὰρ ἂν ὁ παθὼν αὐτὸς ἀφῇ τοῦ φόνου πρὶν τελευτῆσαι τὸν δράσαντα, οὐδενὶ τῶν λοιπῶν συγγενῶν ἔξεστιν ἐπεξιέναι.*

222) Cf. Demosth. adv. Theocrin. p. 1331: *τελευτήσαντος αὐτῷ τοῦ ἀδελφοῦ βιαίῳ θανάτῳ τοιοῦτος ἐγένετο περὶ αὐτὸν οὗτος, ὥςτ' ἀναζητήσας τοὺς δράσαντας καὶ πυθόμενος, οἵτινες ἦσαν, ἀργύριον λαβὼν ἀπηλλάγη.*

223) Cf. Plat. Republ. VIII, p. 558 A: *ἢ οὔπω εἶδες ἐν τοιαύτῃ πολιτείᾳ, ἀνθρώπων καταψηφισθέντων θανάτου ἢ φυγῆς οὐδὲν ἧττον αὐτοῦ μενόντων τε καὶ ἀναστρεφομένων ἐν μέσῳ; καὶ ὡς οὔτε φροντίζοντος οὔτε ὁρῶντος οὐδενὸς περινοστεῖ ὥςπερ ἥρως.*

interdicto homicida locis sacris arceretur, Plato eum ipso jure abesse jubet [224], scilicet ne omisso per negligentiam interdicto impune illa loca polluantur; simillimum autem est, quod quum Solonem constet in legibus suis parricidae rationem omnino non habuisse [225], quia talem exsistere non posse sibi persuasisset, Plato, qui rem aliter se habere expertus nosset [226], eidem atrocissimum supplicium proponit [227]; quanquam ita comparatum, ut in eo quoque non minus antiquissimum Graecorum usum sequi videatur [228], quam in sepulturae ignominia, qua eum qui ipse sibi mortem consciverit prosequitur [229]. Philosophi manum novatricem in iis tantum agnosco, quae de exsilii tempore pro diversis criminum fontibus diverso argutatur; qui quum omnino omnium, nisi fallor, primus in hoc ipso legum

---

224) Legg. IX, p. 871 A: *ἐάν τέ τις ἀπαγορεύῃ τῷ δράσαντι ταῦτα ἀνθρώπων ἐάν τε μή· ὁ γὰρ νόμος ἀπαγορεύει κ. τ. λ.*

225) Cf. Cicero pro Rosc. Amer. c. 25; Diog. L. I, 59.

226) Cf. Aristoph. Vesp. v. 1075.

227) Legg. IX, p. 873 B.

228) Eurip. Orest. 436: *θανεῖν ὑπ' ἀστῶν λευσίμῳ πετρώματι.* Illud tantum Plato mitigat, quod necatum demum lapidibus in trivio obrui jubet.

229) Legg. IX, p. 873 D; cf. Zenob. Proverb. VI, 17: *Ἀριστοτέλης φησὶ περὶ Θηβαίων, ὅτι τοὺς αὐτόχειρας ἑαυτῶν γινομένους οὐκ ἐτίμων.* Longius etiam ipsi Athenienses progrediebantur, de quibus Aeschines adv. Ctesiph. §. 244: *ἐάν τις αὑτὸν διαχρήσηται, τὴν χεῖρα τὴν τοῦτο πράξασαν χωρὶς τοῦ σώματος θάπτομεν*: cf. Joseph. de B. Jud. III, 8. 5; videtur autem Plato in his ut in aliis communem potius Graeciae quam singularem Athenarum morem secutus esse. Sic, ut hoc utar, in funeribus eorum, qui ab ignoto caesi essent, quamvis interdici percussori juberet, tamen non addidit, ut hasta simul ferretur, quo de usu v. Seidler ad Eurip. Troad. v. 1155. De *αὐτοχειρίᾳ* plura dabit Kirchmann de Funer. Roman. p. 482 sqq. et C. H. Scheidler de morte voluntaria, Jenae 1822. 4.

opere veterem usuque receptam criminum divisionem in voluntaria et invita reprehenderit, eaque secundum tres animi humani partes trifariam distribuerit [230], ita hic quoque mediam inter imprudentiam et dolum malum iracundiam inseruit, qua quis motus caedem vel extemplo committeret vel etiam posterius animum suum sanguine expleret; ac priori quidem generi biennii, posteriori triennii exsilium proposuit, capitali autem poena in eos tantum animadvertit, qui aut cupiditate vel avaritia hominem occidissent aut iterata caede ingenium effrenatum et insanabile ostendissent [231]. Illud etiam triennium, quo eos, qui consanguineos conjugesve per iracundiam interfecissent, exsulare jussit [232], dubito num antiquitus aut lege aut more ita descriptum fuerit; quod autem addit, ut qui tale facinus commiserint liberorum fratrumve mensa atque consortio in perpetuum abstineant ipsam antiquitatem redolet, neque alia causa est eorum, quae de servorum necibus aut suppliciis statuit; quo in genere licet multa potius ab exegetarum responsis quam a jure scripto pependisse videantur [233], erant tamen, quibus etiam legibus provideri necesse esset. Ac si quis servum occidisset, Athenis quoque capitale fuisse

---

230) Legg. IX, p. 863.

231) Ibid. IX, p. 866 D sqq. De poena capitali in universum quid sentiat, exponit Legg. V, p. 735 E: *τοὺς γὰρ μέγιστα ἐξημαρτηκότας, ἀνιάτους δὲ ὄντας, μεγίστην δὲ οὖσαν βλάβην πόλεως, ἀπαλλάττειν εἴωθεν*: cf. XII, p. 942 A et 957 E; Protag. p. 322 D; Republ. III, p. 410 A.

232) Ibid. IX, p. 868 D.

233) Cf. Plato Euthyphr. p. 4.

constat [234], imprudenti tantum eandem quam apud Platonem veniam dari consentaneum erat, ut cum hero ejus transigeret judiciove petitus duplum pretii ex aestimatione judicum restitueret [235]; ipsi certe domino impune erat, modo solemnibus lustrationibus uteretur [236]. In servo autem puniendo, qui liberum interemisset, Plato ita tantum a patria lege discrepat, ut duplex supplicii genus proponat, prout aut dolo aut iracundia fecerit, vel publicum vel privatum [237]; Athenis publicum tantum fuisse audimus [238], quod tamen nihil obstat quo minus eodem modo quo apud Platonem a carnifice prope monumentum occisi sumtum esse statuamus; ac licet homicidam propinquis enecandum tradi non licuerit, illud tamen nihil vetat Athenas transferri, quod Plato servum, qui liberum pulsaverit, huic ipsi verberandum aut vinciendum citra domini damnum tradi jubet [239] eumque qui civem vulnerarit aut aliquo detrimento affecerit, nisi a domino ejus satis-

234) Lycurg. adv. Leocr. §. 65: *οὐδὲ τὸν μὲν οἰκέτην ἀποκτείναντα ἀργυρίῳ ἐζημίουν, τὸν δὲ ἐλεύθερον εἴργον τῶν νομίμων, ἀλλ' ὁμοίως ἐπὶ πᾶσι καὶ τοῖς ἐλαχίστοις παρανομήμασι θάνατον ὥρισαν εἶναι τὴν ζημίαν:* cf. Plat. Legg. IX, p. 872 C.

235) Legg. IX, p. 865 C.

236) Legg. IX, p. 865 D; cf. Antipho de Choreuta §. 4: *καὶ ἄν τις κτείνῃ τινὰ ὧν αὐτὸς κρατεῖ καὶ μὴ ἔστιν ὁ τιμωρήσων, τὸ νομιζόμενον καὶ τὸ θεῖον δεδιὼς ἁγνεύει τε ἑαυτὸν καὶ ἀφέξεται ὧν εἴρηται ἐν τῷ νόμῳ.*

237) Legg. IX, p. 868 B, C et p. 872 B.

238) Cf. Antiph. de caede Herod. §. 48: *καίτοι οὐδὲ οἱ τοὺς δεσπότας ἀποκτείναντες, ἐὰν ἐπ' αὐτοφώρῳ ληφθῶσιν, οὐδ' οὗτοι θνήσκουσιν ὑπ' αὐτῶν τῶν προσηκόντων, ἀλλὰ παραδιδόασιν αὐτοὺς τῇ ἀρχῇ κατὰ νόμους ὑμετέρους πατρίους.*

239) Legg. IX, p. 882.

factum sit [239b]), vulnerato ipsi addicit; praesertim quum cautionem adjiciat Attico jure dignissimam, ut si ille rem cum servo fallendi domini causa composuisse videatur, vel plagii vel doli mali reum facere liceat [240]). Inter ingenuos quoque quae de vulneribus sancit, nisi quae ad peculiarem ipsius rei publicae formam pertinent, plurimam partem Attica esse dixerim: ut vulnus hostili animo inflictum exsilio perpetuo mulctetur, inter consanguineos autem capitale sit, sin quis imprudens alterum vulneraverit, sanabile damnum duplo, insanabile quadruplo compenset [241]); de insidiis autem, quas quis alterius vitae struxerit [242]), jam ab aliis observatum est jus Atticum Platonis legibus

---

239*b*) Similem certe legem Solonis, *βλάβης τετραπόδων νόμον,* invenimus apud Plut. V. Solon. c, 24, unde etiam in XII tabulas transiisse videtur, cf. Ulpian. in l. 1 Dig. si quadrup. pauper. fec.; neque servorum mentione caremus, modo cum Heraldo (Obss. ad J. A. et R. V. 8) apud Lysiam adv. Theomnest. §. 19 legamus *οἰκῆος καὶ δούλης τὴν βλάβην ὀφείλειν:* cf. Platner's Process u. Kl. T. II, p. 372 et comparationis causa Dirksen's Zwölf-Tafel-Fragmente p. 708 sqq.

240) Ibid. IX, p. 879 A; XI, p. 936 D, unde simul etiam illud lucramur, ut intelligamus *κακοτεχνιῶν δίκην* non eam tantum dici, *ἣν εἰςῄεσαν οἱ ἔχοντες μαρτυρίαν ψευδομαρτυριῶν κατὰ τῶν παρεχομένων τοὺς ψευδεῖς μάρτυρας,* verum ut ipsum quoque nomen arguit, in universum de omni dolo malo usurpari; cf. Des. Herald. de rer. jud. auctor. I, 3, 7 sqq.

241) Legg. IX, p. 876 sqq. De exsilio apud Athenienses quoque constat ex Lys. adv. Andoc. §. 15; cf. Meier's att. Process p. 314, qui tamen quod bona quoque exsulis publicata esse censet, recte addubitat Wachsmuth. Hell. Alterth. T. II, P. 1, p. 270, ipso Platone duce p. 877 A: *μετάστασιν εἰς τὴν γείτονα πόλιν αὐτῷ γίγνεσθαι διὰ βίου, καρπούμενον ἅπασαν τὴν αὑτοῦ κτῆσιν.*

242) Legg. IX, p. 872 C; cf. Forchhammer de Areopago p. 30, qui recte *τὸν βουλεύσαντα* appellat *den intellectuellen Urheber des Mordes* reprehenditque Haefterum, qui (Athen. Gerichtsverf. p. 140) *βουλεύσεως* nomine etiam conatum caedis comprehendit. Conatus enim caedis ita tantum punitus esse videtur, si aliquem saltem successum habuis-

insigniter illustrari; neque in hoc tantum genere, verum etiam in aliis, quae ad causas publicas pertinent, insignis utriusque similitudo apparet. Et sacrilegos quidem proditoresque quod conjungit [243], idem in lege Attica fit, qua utrisque pariter, ut apud Platonem sacrilegis, praeter capitalem poenam etiam sepultura intra fines patriae negatur [244], nec dubitari potest, quin proditorum nomine hac in causa Attici eos quoque comprehenderint, quos duobus illis Plato adjungit, qui rei publicae mutandae consilia agitassent [245]. Furtis quoque Solonem eandem quam nostrum dupli poenam praestituisse constat [246], neque illud ab usu patrio alienum sanxit, ut qui perc-

---

set, quam ipsam esse causam *τραύματος ἐκ προνοίας* recte Meierus p. 313 intellexit; idem tamen, quod miror, in *βουλεύσει* quaerit, quid factum sit, si insidiae irritae fuissent? Utrique, ni fallor, fraudi fuit, quod dicunt grammatici: *τὸ μὲν γάρ ἐστιν, ὅταν ἐξ ἐπιβουλῆς τις τινὶ κατασκευάσῃ θάνατον, ἐάν τε ἀποθάνῃ ὁ ἐπιβουλευθεὶς ἐάν τε μή*: mihi vero potior est Platonis auctoritas, qui eum tantum *βουλεύσεως* reum agit, qui *βουλήσει τε καὶ ἐπιβουλεύσει ἀποκτείνας αἴτιος* fuerit; conatum enim, si effectu caruerit, extra judicium fuisse, illud quoque ostendit, quod in lege Areopagitica subjicitur: — *καὶ φαρμάκων, ἐάν τις ἀποκτείνῃ δούς*; cf. et Plat. legg. XI, p. 933. Illud tantum prudenter Heffterus animadvertit, ex jure Attico consortem criminis pari cum ipso qui fecerit loco habitum esse; cujus rei aliud etiam insigne exemplum habemus apud Plat. Legg. XII, p. 955 B, ubi perinde haberi jubet, sive quis furtum fecerit, sive celarit, prorsus ut apud Lysiam legimus adv. Philocr. §. 11: *οἱ μὲν τὰ τῶν ἰδιωτῶν ἀπολλύμενα τοῖς κλέπταις συνειδότες τοῖς αὐτοῖς ἐνέχονται.*

243) Ibid. IX, p. 853—856.

244) Cf. Xenoph. Hellen. I, 7. 23: *κατὰ τοῦτον τὸν νόμον κρίνατε, ὅς ἐστιν ἐπὶ τοῖς ἱεροσύλοις καὶ προδόταις, ἐάν τις ἢ τὴν πόλιν προδιδῷ ἢ τὰ ἱερὰ κλέπτῃ, κατακριθέντα ἐν δικαστηρίῳ μὴ ταφῆναι ἐν τῇ Ἀττικῇ*: cf. Wesseling ad Petiti Legg. VIII, 4. 4, p. 672.

245) Cf. Meier's Att. Process p. 341 sqq.

246) Legg. IX, p. 857 A; cf. Gell. XI, 18: *is Solo . . . sua lege non ut Draco antea mortis, sed dupli poena vindicandum existimavit,* quod et Demosthenes confirmat adv. Timo-

grinos deos privatim colerent, impietatis nomine punirentur [247], quem etsi *τιμητὸν ἀγῶνα* fuisse Socratis exemplo apparet, plerumque tamen apud Athenienses quoque ut apud Platonem capitale habitum esse videtur [248]; veneficiorum tantum et incantationum poenas, quae Athenis et ipsae interdum ad impietatem relatae esse videntur [249], nisi augur medicusve fraudem fecisset, judicum arbitrio reliquit [250]. *Παραπρεσβείας* crimen, quoniam Plato quoque leviter perstringit [251], verbo attigisse sufficiet; militarium autem judiciorum, quae accuratissime ille exposuit [252], licet ad exitum properemus, ita saltem mentionem faciemus, ut moneamus de usu Attico, quem philosophus quoque retinuit, ut praesidentibus ducibus milites ipsi has causas judica-

---

crat. p. 736. 10: *εἰ δέ τις ἰδίαν δίκην κλοπῆς ἁλῷη, ὑπάρχειν μὲν αὐτῷ διπλάσιον ἀποτῖσαι τὸ τιμηθέν;* cf. Aristoteles Problem. XXIX, 14: *ἐὰν δέ τις ἐξ οἰκίας, διπλοῦν τῆς ἀξίας τοῦ κλέμματος ἀποτίνειν* et Dinarch. adv. Demosth. §. 60: *ἀλλ' οἱ νόμοι περὶ μὲν τῶν ἄλλων ἀδικημάτων τῶν εἰς ἀργυρίου λόγον ἀνηκόντων διπλῆν τὴν βλάβην ὀφείλειν κελεύουσι κ. τ. λ.*, unde simul apparet, decuplum illud in lege apud Demosth. p. 733 ad simplex furtum spectare non posse; cf. et p. 735. 10. Ceterum hoc etiam Atticum, quod Plato addit: *ἐὰν δὲ μή, δεδέσθαι ἕως ἂν ἐκτίσῃ ἢ πείσῃ τὸν καταδικασάμενον:* cf. Demosth. p. 733. 16.

247) Legg. X, p. 910.

248) Praeter ipsum Socratem, cui nihil magis crimini dabatur, quam quod *καινὰ δαιμόνια εἰσηγεῖτο* (Xen. Mem. I, 1; Diog. L. II, 40), exemplo est *μητραγύρτης* ille, quem Athenienses interfecerunt, *ἐμβάλλοντες εἰς βάραθρον ἐπὶ κεφαλήν:* cf. Photii Lex. p. 268 Pors.

249) Cf. Demosth. adv. Aristogit. I, p. 793 sq. et quibus hanc causam illustrat Meier. Att. Process p. 312; adde Platnerum, Process u. Klagen T. II, p. 170, qui scite observat illic quoque *φάρμακα* et *ἐπῳδάς* jungi.

250) Legg. XI, p. 933.

251) Ibid. XII, p. 941 A.

252) Legg. XII, p. 943 sqq.

rent [253]; hoc enim certum est: illud ambiguum, utri fortitudinis praemia decreverint, quod Plato iisdem militibus tribuit, plerumque autem imperatores soli fecisse videntur [254]; coronas tantum, quas victores accepissent, non sua, sed communi Graecorum lege in templo suspendi jubet [255].

VI.

Hactenus de causis publicis; nam quae praeterea hoc in genere recensenda essent, aut junioribus demum definienda transmisit [256], aut ambiguum reliquit, num ad omnia judicia extendi vellet [257]; poenas autem licet et ipse haud raro, ut Athenis factum esse con-

---

253) Lysias adv. Alcibiad. I, §. 5: *τὸν δὲ νόμον κελεύειν, ἐάν τις λίπῃ τὴν τάξιν εἰς τοὐπίσω δειλίας ἕνεκα μαχομένων τῶν ἄλλων, περὶ τούτου τοὺς στρατιώτας δικάζειν·* ubi quod Meier de bonis damn. p. 124 *στρατιωτῶν* nomine omnes comprehendi censet, *qui stipendia jam fecerint (τοὺς ἐστρατευκότας)*, Platonis certe loco non firmatur, ubi legimus: *γραφὰς εἶναι πρὸς τοὺς πολεμικοὺς ἄρχοντας, ὅταν ἔλθωσιν ἀπὸ στρατοπέδου, δικάζειν δὲ τοὺς στρατεύσαντας ἑκάστους, χωρὶς ὁπλίτας τε καὶ ἱππέας καὶ τἆλλα ἐν πολεμίᾳ ἕκαστα ὡσαύτως*: hinc enim apparet eos tantum dici, qui una in expeditione fuerint; cf. et Platner l. l. II, p. 95. Obiter moneo ex Platone fortasse etiam hipparchis jurisdictionem in equites tribui posse; cf. de Equitt. Att. p. 22.

254) Cf. Plat. Sympos. p. 220 E; Herod. VIII, 123.

255) Omnino enim praemia publice accepta consecrari solemne erat; cf. Herod. I, 144; Isaeus de Dicaeog. §. 41; Demosth. adv. Phaenipp. p. 1045. 22; Aeschin. adv. Ctesiph. §. 46; de corona autem in *ἀριστείοις* Herod. VIII, 124 et Isocr. de Bigis §. 29.

256) Legg. VIII, p. 846 C; IX, p. 855 D.

257) V. c. quod XII, p. 948 A eum qui causa ceciderit, nisi quintam suffragiorum partem tulerit, mulcta afficit; cf. Lehrbuch §. 144, n. 1.

stat, judicum arbitrio vel decernendas [258] vel augendas [259] permittat, tamen non semper easdem, quibus Athenienses uti solebant, adhibet. Mitto stationes sessionesque ignominiosas, quas erunt qui Charondae ex legibus repetendas censeant [260]; omnium autem maxime memorabilis est frequens carceris usus in poena [261], qui Athenis custodiendis potius quam puniendis maleficis inserviebat [262]; sunt adeo quos perpetuis vinculis coërceri eorumque in bona quasi mortuorum succedi jubet [263]; capitis contra deminutiones [264] bonorumque publicationes, quae frequentissimae Athenis erant [265], prorsus rejicit atque omnino cavet, ne parentum peccata posteris ipsorum fraudi sint [266]; eorum tantum, quorum patres avique idem sacrilegii proditionisve crimen commiserint, omnem progeniem exsulare jubet;

---

258) Legg. VIII, p. 843: τιμάτω τὸ δικαστήριον ὅ τι ἂν δέῃ πάσχειν ἢ ἀποτίνειν τὸν ἡττηθέντα; cf. IX, p. 876 C; XI, p. 928 C; 933 E; XII, p. 946 D.

259) Ibid. VI, p. 767 E: προςτιμᾶν; cf. et IX, p. 880 D.

260) Ibid. IX, p. 855 C; cf. Diodor. XII, 16 pluraque apud Casaub. ad Sueton. Oct. c. 24 et Wachsmuth. l. l. p. 184.

261) Cf. Legg. IX, p. 833 B; XI, p. 919 E; inque universum de tribus carcerum generibus X, p. 908.

262) Cf. Lehrbuch cit. §. 139, n. 6.

263) Legg. X, p. 909 D. Similis causa est exsulum, qui et ipsi civiliter mortui habentur; cf. IX, p. 877 C.

264) Ibid. IX, p. 855 D. Aliquid saltem ἀτιμίας ignavis imponit XII, p. 943 B et 944 E, sed hanc quoque κατὰ προςτάξεις tantum, ut militiae jure in posterum careant, non καθάπαξ, ut Athenis; cf. Lehrbuch §. 124.

265) Cf. Meieri historiae juris Attici de bonis damnatorum et fiscalium debitorum libros II, Berol. 1819. 8; imprimis p. 163 sqq.

266) Legg. IX, p. 855 A et 856 C, quo loco mirum in modum abusus est Eusebius Praep. Evang. XII, 39.

tamen horum quoque bonis novos ex reliquorum civium filiis dominos constituit, ne fundorum numerus, quo tota rei publicae descriptio nititur, unquam imminuatur [267]. Hac enim in cura vel Lacedaemoniis diligentiorem fuisse Platonem vidimus, nedum Atheniensibus, qui ne initio quidem aequalem agrorum distributionem habuerant [268]; in iis modo, quae ad familiarum perpetuitatem spectabant, tantus omnium Graecorum consensus erat, ut hoc quoque in genere Solonis leges non sine fructu cum Platonicis comparare liceat [269]. Verum hoc, quoniam spatii augustiis excludimur, alio tempore experiri constituimus; nunc ea tantum breviter perlustrabimus, quae ex reliquo jure civili a Solone condito philosophus ascivisse videatur. Atque in iis, quae ad fines regundos vicinorumque officia mutua et aquarum ductus pertinent, ipse nos ad antiquos legum latores remittit [270], quorum in numero neminem magis quam Solonem censendum esse clarissimae legum Atticarum reliquiae ostendunt [271]; neque aliam originem esse

267) Ibid. IX, p. 856 D; cf. et similem rationem p. 877 D.

268) Aristotelis enim locus Politic. II, 4. 4 obscurior est, quam ut quidquam inde colligi liceat, nisi quod aliunde constat, Solonem providisse, ne nimium inter pauperes opulentosque discrimen intercederet neu cujusquam victus ab alterius nutu vel comitate penderet; cf. et Isocr. Areop. §. 83.

269) Cf. omnino Legg. XI, p. 922 sqq. cum iis quae congessi in Lehrbuch cit. §. 119 sqq. Similia etiam Lacedaemoniorum instituta fuisse disputavi in comm. de causis turb. agr. aequ. p. 39 sqq. Plura in universum dabit Wachsmuth. T. II, P. 1, p. 169.

270) Legg. VIII, p. 843 E.

271) Cf. Plut. V. Solon. c. 23 et Gajum in l. ult. Dig. de finibus regundis, cum animad-

eorum, quae de fructibus arborum legendis sancit [272], vel inde patet, quod ea ad legem refert, quam ipsam Solonis esse constat, ne quis tollat, quod non posuerit [273]. Poma tantum viliora auferri permittit eadem lege, qua Spartae, ut tricenario minor, si comprehensus fuerit, verberetur; ficuum autem et uvarum eandem quam Athenienses curam gerit [274], nec nisi peregrinum iter facientem carpere patitur ex illo genere, quod gustandi potius quam condendi causa plantatum esse videtur [275]; alteras contra vel dominum ante certum maturitatis tempus legere vetat. Eadem causa est vindicationum, quas ut videtur integras ex jure patrio in suum transtulit [276]; nam et servos, ubicunque inventi essent, reduci [277], et libertos ingratos in servitutem revocari potuisse constat [278], officia tantum libertorum nemo Platone luculentius exposuit; neque ea quae de assertione in libertatem

---

versionibus Des. Heraldi in Obss. et Emendd. c. 41, Petiti in Legg. Att. V. 1, p. 387 sqq., et G. A. Roseni in fragmenti Gajani de jure confinium interpretatione, Lemgoviae 1831. 8; adde Dirksen's Uebersicht der Zwölf-Tafel-Fragmente p. 468 sqq.

272) Legg. VIII, p. 844 D sqq.

273) Diog. L. I, 57: *ἃ μὴ ἔθου, μὴ ἀνέλῃ, εἰ δὲ μή, θάνατος ἡ ζημία*: cf. Legg. XI, p. 913 C.

274) Alciphr. Epistt. III, 40: *μέμφομαι τῷ Σόλωνι καὶ τῷ Δράκοντι, οἳ τοὺς μὲν κλέπτοντας σταφυλὰς θανάτῳ ζημιοῦν ἐδικαίωσαν.* Festus p. 243 ed. Lindem.: *Atticos quondam juvenes solitos ajunt in hortos irrumpere ficosque deligere, quam ob causam lege cautum, qui id fecisset, capital esset ei.*

275) *Γενναῖαι*: cf. Dio Chrysost. Or. VII, p. 108, 14: *εἰσὶ δὲ γενναῖαι σφόδρα καὶ τοὺς βότρυς φέρουσαι μεγάλους, ὅταν οἱ παριόντες ἐπαφῶσιν αὐτούς.* Adde Niclas. ad Geopon. T. I, p. 368.

276) Legg. XI, p. 914 C sqq.

277) Cf. Meier's Att. Process p. 395 sqq., qui si nostri loci memor fuisset, non negasset etiam tertio cuivis hominem in servitutem vindicare licuisse.

278) Cf. Petiti Legg. II, 6, p. 180 sqq. et quae attuli in Lehrbuch §. 114, n. 15.

passim apud oratores Atticos exstant, majorem aliunde lucem accipiunt [279]; de furto autem concipiendo, quod a Graecis translatum per lancem et licium Romani dicunt, solus ita disputat, ut claram inde rei imaginem nanciscamur [280]; quae quum ita sint, illa quoque, quae ad rei vindicationem et actionem ad exhibendum cum ea conjunctam pertinent, tuto quasi restituere Soloni licebit [281]. Quae sequuntur de evictione in vendendo et regressu ad venditorem [282], ipsis juris Attici reliquiis confirmantur [283], nec dubito quin idem

---

279) Apud Platonem haec leguntur p. 914 E: *ἐὰν δέ τις ἀφαιρῆταί τινα εἰς ἐλευθερίαν ὡς δοῦλον ἀγόμενον, μεθιέτω μὲν ὁ ἄγων, ὁ δ'ἀφαιρούμενος ἐγγυητὰς τρεῖς ἀξιόχρεως καταστήσας οὕτως ἀφαιρείσθω κατὰ ταῦτα, ἄλλως δὲ μή*: quibuscum cf. Lysias adv. Pancleon. §. 9 sqq. et quae praeterea attulit Petitus II, 6. 3, p. 177; deinde pergit: *ἐὰν δὲ παρὰ ταῦτά τις ἀφαιρῆται, τῶν βιαίων ἔνοχος ἔστω καὶ ἁλοὺς τὴν διπλασίαν τοῦ ἐπιγραφέντος βλάβους τῷ ἀφαιρεθέντι τινέτω,* unde illustratur Demosth. adv. Theocrin. p. 1327. 21; cf. Boeckh's Staatsh. d. Athener T. I, p. 416 et Meier l. l. p. 398. Praeterea animadvertendum, Platonem cum Attico usu stare contra Zaleucum, qui eum, unde peteretur, servum ad finem usque judicii retinere jusserat, cf. Polyb. XII, 16, 4.

280) Legg. XII, p. 954; cf. Petiti Legg. VII, 5. 9, p. 533 sqq. et Heineccii Antiqu. Rom. Syntagma IV, 1. 19. Apud Platonem obiter moneo legendum esse *γυμνὸς χιτωνίσκον ἔχων:* nam *ἢ* intrusum est a librariis, qui nescirent *γυμνὸν* eum ipsum dici, qui sola tunica indutus sit; cf. Aristoph. Nubb. v. 966; Plat. Republ. V, p. 474 A; Demosth. Mid. p. 583; Lucian. Hermot. 23.

281) Cf. Polluc. Onom. VIII, 33: *ἦν δὲ δίκη καὶ εἰς ἐμφανῶν κατάστασιν καλουμένη, ὁπότε τις ἐγγυήσαιτο ἢ αὐτόν τινα ἢ τὰ χρήματα, οἷον τὰ κλοπαῖα:* quam Platoni ante oculos fuisse ostendunt ipsius verba: *τὸν ἔχοντα καλείσθω πρὸς τὴν ἀρχήν, ὁ δὲ καθιστάτω· γενομένου δὲ ἐμφανοῦς κ. τ. λ.* Plura dabit Platner, Process u. Kl. T. II, p. 297 sqq.

282) Legg. XI, p. 915 D sq.

283) Cf. Petiti Legg. V, 3. 1, p. 400 sq. et Heraldi Obss. ad J. Att. et Rom. IV. 3, p. 282 sqq. praetereaque Meier's Att. Process p. 528 et Platner l. l. T. II, p. 343 sqq.

fons sit eorum, quae de fidejussione proxenetarum [284] et de redhibitione propter latens vitium apud Platonem sanciuntur [285], praesertim quum pariter ut antecedentia in jure Romano redeant [286], quod multa ex Solonis legibus petiisse constat; ea tantum aliena esse censeo, quae minuendae litigationis causa subjicit, ne actio detur de iis negotiis, quae extra forum vel pecunia non numerata gesta sint [287], ut fidejussiones syngraphis perscribantur coram tribus vel quinqne testibus [288], ut qui rem vendiderit, cujus pretium quinquaginta drachmas excedat, ne intra decimum diem urbem relinquat domusque ejus emtori nota sit [289]; praescriptionis denique terminos, quod plerumque facit in numeris, suo arbitrio descripsisse videtur [290], quanquam horum quoque nonnullos cum jure Attico communes habet [291]. Quod vero de institorum atque opificum mendaciis coërcendis statuit [292], licet pro rei publicae suae conditione variatum sit, tamen re ipsa Solonis esse inde conjicimus, quod Athenis lege vetitum fuisse fertur, ne quis in foro mentiretur [293]; qua ex lege illic quoque

284) Legg. XII, p. 954 A.

285) Ibid. XI, p. 916 A. Nescio cur hoc neget Meier l. l. p. 525.

286) Cf. Gell. Noct. Att. IV, 2 et Heineccium l. l. III, 23. 6.

287) Legg. XI, p. 915 E; cf. Platner l. l. p. 311.

288) Ibid. XII, p. 953 E; cf. Platner l. l. p. 367.

289) Ibid. XI, p. 916 A.

290) Legg. XII, p. 954 C - E.

291) Cf. Lehrbuch cit. §. 141, n. 5.

292) Legg. XI, p. 917 B sqq. et p. 920 D sqq.

293) Cf. Hyperidem ap. Harpocrat. p. 164 s. v. *κατὰ τὴν ἀγορὰν ἀψευδεῖν* et quae illo de loco disseruit Petitus V, 3. 2, p. 401 adde Platnerum l. l. p. 339 sq.

ψεύδους agere licuisse veri simillimum est, si quis aut pretium nimium indicasset aut diem operi absolvendo praestitutam non servasset, ejusque nominis actionem nuper in inscriptione Deliaca, quae a colonis Atticis scripta est, Boeckhii solertia indagavit [294]. Sunt et alia minoris momenti apud Platonem, quae nos ad disciplinam publicam a Solone conditam remittunt: lex de conviciis, quibus et alias et imprimis in locis sacris publicisque abstineri jubet [295], de saltatoribus et cantoribus choricis, quos prorsus ut Athenis pignore capto ad operam suam praestandam cogi permittit [296]; de funeribus, quorum luxum eodem quo Solo consilio sapienter restringit [297]; his tamen missis, quantum restat spatii ad usum forensem Atheniensium inque primis locum de testimoniis ex Platone illustrandum conferamus,

294) Cf. Corpus Inscriptt. T. II, p. 222. Quanquam in illo a Boeckhio discedo, quod non de eo redemtore agi arbitror, qui opus intra diem praestitutam non absolverit, sed de eo, quem alius vadibus et ipse constitutis ostenderit nimia mercede opus faciendum conduxisse; quod si recte conjeci, haec quoque verba, quae Boeckhius se non intelligere professus est, probabiliter emendare mihi videor lin. 10: ὅσῳ δ'ἂν . . ο . . εὕρειαν ἀπολούμενον, ἐξέστω τοῖς ἐπιστάταις εἰςπρᾶξαι τὸν ἐργώνην κ. τ. λ. Nihili est ἀπολούμενον: tu lege ὅσῳ δ'ἂν πλέονος εὕρειαν πωλούμενον, ut quanto pluris quam aequum esset locatum opus invenerint, tantum mulctae a redemtore exigere curatores jubeantur; qui quum et ipsi culpa non vacare in tali errore videri possint, venia ipsis datur, si rem praesenserint: ἐὰν προγινώσκωσιν, ἀζημίοις οὖσι καὶ ἀνυποδίκοις.

295) Legg. XI, p. 935; cf. Plut. V. Solon. c. 21: ζῶντα δὲ κακῶς λέγειν ἐκώλυσε πρὸς ἱεροῖς καὶ δικαστηρίοις καὶ ἀρχείοις καὶ θεωρίας οὔσης ἀγώνων: et quae praeterea Petitus congessit VII. 6, p. 535. Miror Wachsmuthium T. II, P. 1, p. 238.

296) Legg. XII, p. 949 D; cf. Antipho de Choreuta §. 11.

297) Legg. XII, p. 959; cf. Plut. V. Solon. c. 21; Cicero de Legg. II, 23 - 25, et plura apud Petitum p. 499 sqq. et Dirksen. l. l. p. 666.

quem hic quoque jus patrium secutum esse quum insignis rerum verborumque similitudo, tum eae partes ostendunt, quas magistratibus in causis cognoscendis colligendisque probandi instrumentis tribuit[298]. Et hoc quidem Schoemanno[299] assentior, quod mulieribus quoque, quae quadragesimum aetatis annum excesserint, testimonii dicendi facultatem concedat, Atticis moribus non magis convenire, quam quod iisdem magistratus quoque gerendos permittit[300]; illud tamen miror neminem adhuc ex ipso confirmasse, quod Antipho quoque innuit, in caedis causis etiam servorum testimonia audita esse[301]; praeterea non video cur non Athenas quoque transferamus, quod Plato, si quis ex ipso judicum numero testis excitetur, eum testimonio dicto judicare in eadem causa vetat[302]; neque *ἐξωμοσίας* formula, quam per tres deos dejerari jubet, a Solonis legibus aliena est[303]; omnium vero maximam lucem ex ipso *ἐπίσκηψις ψευδομαρτυριῶν* accipit, quae quum

298) Legg. XI, p. 937 B: *τὰς δ'ἐπισκήψεις τὰς ἀρχὰς φυλάττειν κατασεσημασμένας ἐπ' ἀμφοῖν καὶ παρέχειν εἰς τὴν τῶν ψευδομαρτυριῶν διάκρισιν*: et ibidem C: *ἐνδεικνύτω μὲν πρὸς τὴν ἀρχὴν ὁ βουλόμενος αὐτόν, ἡ δ'ἀρχὴ δικαστηρίῳ παραδότω.*

299) Att. Process p. 667.

300) Legg. VI, p. 785 B.

301) Antipho de caede Herod. §. 48: *καὶ μαρτυρεῖν ἔξεστι δούλῳ κατὰ τοῦ ἐλευθέρου τὸν φόνον*: quo de loco Platnerus Proc. u. Kl. T. I, p. 215: *diess ist nicht sowohl von einem eigentlichen Zeugniss als von einer Denunciation zu verstehn*; at Plato hoc et ipse sancit: *δούλῃ δὲ καὶ δούλῳ καὶ παιδὶ φόνου μόνον ἐξέστω μαρτυρεῖν κ. τ. λ.*

302) Legg. XI, p. 937 A; cf. Schömann p. 672.

303) Cf. Spanheim ad Aristoph. Nubb. v. 1236 et ad Plut. v. 129; adde Buttmann. Mythol. T. I, p. 29 et Nitzsch ad Odyss. T. II, p. 30.

a Charonda demum inventa esse dicatur [304]), profecto non nomine tantum, ut plerumque creditur [305]), ab actione falsi testimonii differre potest. Ego certe non dubito quin illud quod Plato sancit, ut ante quam judicio decernatur ἐπίσκηψις fiat, Athenis quoque non arbitrarium sed necessarium fuerit, atque in eo ipso ἐπισκήψεως natura cernatur, ut statim in cognoscenda causa quasi recusatione interposita fides testium labefactetur, licet in iis tantum causis, quae totae a testimoniis penderent, ἐπίσκηψιν continuo actio secuta esse videatur [306]), in reliquis exspectari oportuerit, donec aliquid damni ex eo testimonio acceptum esset [307]). Quod ut statuam eo imprimis moveor, quod nulla re magis testimonii alicujus veritatem confirmari apud oratores

---

304) Aristot. Politic. II, 9. 8: *Χαρώνδου δ' ἴδιον μὲν οὐδὲν ἐστι πλὴν αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτυριῶν· πρῶτος γὰρ ἐποίησε τὴν ἐπίσκηψιν*: cf. Bentleji Opuscula p. 358.

305) Cf. Meier's Att. Process p. 385, qui etiam nostro de loco perperam p. 382: *Plato scheint diese Klage nur vor ausgemachter Hauptsache zu gestatten*; neque enim est *actio ἐπίσκηψις*, sed actionis denunciatio, ut *ἐπαγγελία*.

306) Hoc est in *διαμαρτυρίᾳ*: cf. Lehrbuch §. 141, n. 10.

307) Demosth. adv. Everg. et Mnesib. p. 1139: *καλῶς μοι δοκοῦσιν οἱ νόμοι ἔχειν ὑπόλοιπον ἀγῶνα ἀποδιδόντες ταῖς δίκαις τῶν ψευδομαρτυριῶν, ἵν' εἴ τις μάρτυρας τὰ ψευδῆ μαρτυροῦντας παρασχόμενος . . . ἐξηπάτησε τοὺς δικαστάς, μηδὲν αὐτῷ πλέον γένηται, ἀλλ' ἐπισκηψάμενος ταῖς μαρτυρίαις ὁ ἀδικηθεὶς καὶ εἰσελθὼν ὡς ὑμᾶς καὶ ἐπιδείξας περὶ τοῦ πράγματος τοὺς μάρτυρας τὰ ψευδῆ μεμαρτυρηκότας παρά τε τούτων δίκην λάβῃ*: cf. adv. Stephan. 1, p. 1101: *καταψευδομαρτυρηθεὶς καὶ παθὼν ὑπὸ Φορμίωνος ὑβριστικὰ καὶ δεινὰ δίκην παρὰ τῶν αἰτίων ἥκω ληψόμενος παρ' ὑμῖν*. Quod Meiero videtur p. 381, ei quoque, qui litem ipsam abstulisset, *ψευδομαρτυριῶν* agere licuisse, concedere nequeo; quae enim affert exempla, vel *ἐπίσκηψιν* tantum spectant ante judicium faciendam, vel *διαμαρτυρίαν*, ubi plures *ψευδομαρτυριῶν* actiones sese excipere poterant; neque opus esse arbitror cum Platnero Proc. u. Kl. T. I, p. 398 eo confugere, ut in Isaei oratione de Pyrrhi hereditate damnum mora illatum peti statuamus.

Atticos video, quam quod nemo ἐπεσκήψατο, unde patet, nisi continuo testimonium ἐπίσκηψις secuta esset, pro vero haberi debuisse [308]; neque alia ἐπισκήψεως ratio fuisse videtur in ψευδομαρτυρίαις ac drachmae illius quam in λειπομαρτυρίῳ statim antequam judicetur poni videmus [309], licet damni actio contra testem contumacem pariter ac mendacem post judicium demum instituatur. Damnum enim a teste, cujus qualicunque culpa lis amissa esset, repeti licuisse [310] et aliunde constat neque a Platonis legibus abest; nisi quod is de eo potissimum loquitur, qui citatus non respondisset, quem Athenis, nisi ipse testimonium promisisset, mulcta potius affectum esse audimus [311]; mendacio autem amissam litem denuo instaurari permittit, quod Athenis

---

308) Demosth. adv. Everg. p. 1140. 21: καὶ Θεόφημος αὐτοῖς ὡς ἀληθῆ μεμαρτυρηκόσιν οὐκ ἐπεσκήψατο οὐδ' ἐπεξέρχεται τῶν ψευδομαρτυριῶν: cf. adv. Olympiod. p. 1179. 20: ἐπεὶ εἰ μή ἐστι ταῦτα ἀληθῆ, ἃ ἐγὼ λέγω, διὰ τί οὐκ ἐπεσκηψάμην ἐγὼ τότε τοῖς μάρτυσι τοῖς ταῦτα μαρτυροῦσι; inque primis Isaeum de Pyrrhi her. §. 12: ἀλλὰ μὴν ὁπότε μὴ ἐνεσκημμένοι εἰσὶ ταῖς περὶ αὐτοῦ τούτου μαρτυρίαις, ὡμολογηκότες εἰσὶ ταῦτα.

309) Cf. Demosth. adv. Timoth. p. 1190.

310) De ψευδομαρτυριῶν δίκη cf. Platner's Proc. u. Kl. T. I, p. 400, de λειπομαρτυρίῳ Heffter's athen. Gerichtsverf. p. 307; quod enim Platnerus p. 221 aliam λειπομαρτυρίου, aliam βλάβης δίκην fuisse contendit, speciosius quam verius disputatum existimo, si quidem ipso Demosthenis exemplo apparet testem nisi metu actionis post judicium intentandae cogi non potuisse; quod autem apud eundem sequitur: νυνὶ δὲ τῷ Ἀντιφάνει εἴληχα βλάβης ἰδίαν δίκην, illud tantum spectat, quod alias etiam κλητεύσει in λειπομαρτυρίῳ locus erat; λειπομαρτυρίου certe γραφὴν non fuisse contra lexicographorum ineptias recte monuit Meier Att. Process p. 390.

311) Cf. Harpocr. p. 174: λέγεται κλητεύεσθαι καὶ ἐκκλητεύεσθαι ἐπὶ τῶν μαρτύρων, ὅταν μὴ ὑπακούωσι πρὸς τὴν μαρτυρίαν ἐν τοῖς δικαστηρίοις, καὶ ἔστιν ἐπιτίμιον κατ' αὐτῶν δραχμαὶ χίλιαι: quod ne quis Platonem secutus cum λειπομαρτυρίου δίκη confundat, animadvertendum est utriusque discrimen apud Phot. Lex. p. 212: ὁ μὲν οὐδὲ τὴν ἀρχὴν θελήσας μαρτυρεῖν ἐξεκλητεύετο, ὁ δὲ ὑποσχόμενος μέν, ἐκλιπὼν δέ, λειπομαρτυρίου ἐκρίνετο: quorum posterius Plato omnino non attigit.

interdum tantum factum esse Theophrastus tradidit [312]; illud modo praeterea cum Attico jure commune habet, quod eum, qui ter mendacii convictus fuerit, testimonii dicendi jure in perpetuum, *ἐνδείξεως* periculo proposito, privat [313]. Verbo denique monendum est de executione rei judicatae, quae illud imprimis memorabile habet, quod fiscalium debitorum poenas, quae Athenis fuerunt, in eos qui privatis deberent transtulit, fiscalibus autem capitalem poenam minatur [314]; unum tamen haud scio an hinc quoque lucremur, ut quum reliquos *ἀτίμους* Athenis non magis peti judicio quam petere potuisse constet [315], debitores petendi tantum jure caruisse intelligamus.

---

312) **Ap. Schol. Plat. p. 458 Bekk.**: *ἀνάδικος κρίσις, εἰ ἑάλωσαν ἤτοι πάντες οἱ μάρτυρες ψευδομαρτυριῶν ἢ ὑπερημίσεις.. οὐκ ἐπὶ πάντων δὲ τῶν ἀγώνων.. ἀλλ' ἐπὶ μόνης ξενίας καὶ ψευδομαρτυριῶν καὶ κλήρων*: quo jam restringitur illud quod nimis universe narrat Harpocr. p. 22: *ἀνάδικοι κρίσεις αἱ ἄνωθεν δικαζόμεναι, ὅταν ἁλῶσιν οἱ μάρτυρες ψευδομαρτυριῶν*. Quanquam jam Heraldus de rerum jud. auctor. I, 3. 10 recte intellexit Platonem beneficium illud latius extendisse, quam apud Athenienses factum sit, quibus nihil re judicata sanctius videbatur; neque aliter sentio de loco Legg. XII, p. 954 E, ubi Plato itidem rescindi judicium permittit, *ἐάν τις τινὰ δίκῃ παραγίγνεσθαι κωλύσῃ βίᾳ εἴτε αὐτὸν εἴτε μάρτυρας*: licet enim ipsum, qui vi prohibitus vadimonium deseruisset, in integrum restitui Athenis quoque potuisse concedam (Lehrbuch §. 145, n. 1), testibus tamen prohibitis *κακοτεχνιῶν* tantum et *βιαίων* agi licuisse censeo.

313) Cf. Andoc. de myster. §. 74 et quae de eo loco disputarunt Boeckhius in Ind. Lectt. Ber. 1817–18 et Meier de bon. damn. p. 125, quibus nuper accessit P. v. Lelyveld de infamia jure Attico p. 123. Postea demum, fortasse inde ab Euclidis archontatu, discrimen auctum esse videtur, ut unum testimonium falsum ad *ἀτιμίαν* sufficeret; nam quod Boeckhio placuit, ut per *προστίμησιν* interdum etiam capitis deminutionem accessisse statuamus, Isaei loco confutatur de Dicaeog. §. 19, unde apparet infamiam testi, mendacii convicto, etiam antequam sententia a judicibus ferretur, certam fuisse.

314) Legg. XII, p. 958 B; cf. Meier l. l. p. 137 sqq.

315) Cf. Demosth. adv. Mid. p. 534. 1.

Haec igitur sunt, quae Augustissimi Principis natalibus deberi arbitrabar; quibus etsi tanti ponderis argumentum adumbratum potius quam expressum et absolutum esse sentiam, satis tamen, opinor, pro consilio nostro actum est, ut aliquo saltem exemplo prodito commilitonum animos erigamus viamque monstremus, qua proposita industriae praemia nancisci possint. Neque irritas spes nostras fore spondent specimina, quibus hoc ipso die intelligentissimorum judicum consensu palma victorum decus decreta est. Nam quum quaestionem jam ante hoc biennium frustra propositam proximo anno iterassem his verbis conceptam:

> Quum constet primo post Chr. n. seculo eloquentiam Romanam a Ciceronis exemplo prorsus discessisse, conquirantur ex scriptoribus illius aetatis et componantur inter se quaecunque de mutata sub imperatoribus artis oratoriae forma inveniri atque investigari poterunt; imprimis autem de Cassii Severi, quem primum flexisse a vetere illa et directa dicendi via affirmat auctor dial. de orat. c. 19, vita atque ingenio quantum fieri poterit accuratissime disputetur;

nunc saltem inventus est juvenis doctissimus, qui eum certe locum, qui ad eloquentiae formam sub Caesaribus pertinet, tanta cum diligentia et judicio in colligenda pariter ac disponenda materia exsecutus est, ut praemium ei negari non posset; quae enim de Cassio Severo disputavit, quoniam interim a Weicherto viro clarissimo idem argumentum luculentissime pertractatum erat, in censum venire amplius non posse videbantur. Schedula in consessu judicum aperta nomen apparuit

CAROLUS GUILIELMUS PIDERIT,
RINTELIENSIS.

Neque alteri argumento, quod proximo anno novum commendaram, *Prosopographiae Aristophaneae*, defuit qui laudabilem operam impenderet; qui etsi non omni festinationis culpa liberari possit neque exactum semper in temporum hominumque rationibus distinguendis judicium adhibuerit, tamen et ipse vel propter industriam universo opere comprobatam vel propter dexteritatem in singularum rerum tractatione conspicuam praemio non indignus esse visus est. Nomen ejus reclusa schedula hoc repertum est:

HENRICUS HASSELBACH,
RICHELSDORFENSIS.

Et hi quidem, quoniam nemo contra in arenam descendit, ἀκονιτὶ victores renunciantur; de nova autem, quam nunc in sequentem annum proponimus, quaestione speramus fore ut jam etiam plures inter se decertent, praesertim quum ita comparata sit, ut non modo ad philologorum studia, verum ad omnes pertineat, qui morum emendationem bonasque artes curant. Ea vero haec est:

Quoniam parum adhuc de Peripateticorum doctrina morali disputatum est, colligantur, quae de hoc argumento apud Ciceronem, Diogenem Laërtium, Stobaeum in Eclogis aliosque auctores veteres leguntur, et cum Aristotelis libris ethicis comparentur ita, ut quantum eorum ad ipsum scholae principem referendum, quantum a posterioribus magistris additum vel innovatum sit appareat; praeterea de rationibus inter eadem et Academicorum placita ethica intercedentibus quum in universum tum eo imprimis consilio agatur, ut Ciceronis doctrina ethica justam inde lucem accipiat.

Atque in his opera nostra subsistit; quod enim reliquum est, ipsum Augustissimi Electoris diem natalem vir excellentissimus et clarissimus, collega conjunctissimus,

FRIDERICUS REHM,
PH. D. AA. M. HIST. P. P. O.

oratione in auditorio majori habenda illustrabit; cuius sacri ceremoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint *magnificus Academiae Prorector, Professores omnium ordinum, summe venerabiles, illustres et consultissimi, experientissimi, excellentissimi, quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent, cives denique, Minervae sacris operantes, ornatissimi atque suavissimi*, ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi die XXI. JULII MDCCCXXXVI.

Plato. Leges

NATALEM TRIGESIMUM QUINTUM

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI PRINCIPIS

AC DOMINI

FRIDERICI GUILIELMI

PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE ETC.

LAETANTI PATRIAE SACRUM

AB

ACADEMIA MARBURGENSI

DIE XX AUGUSTI MDCCCXXXVI

ORATIONE

IN AUDITORIO MAJORI HABENDA CELEBRANDUM

INDICIT

CAROLUS FRIDERICUS HERMANN,

PH. D. AA. M. PHILOLOGIAE P. P. O. ET SEMINAR. PHILOL. DIRECTOR, BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS SECUNDARIUS.

Inest juris domestici et familiaris apud Platonem in Legibus cum veteris Graeciae inque primis Athenarum institutis comparatio.

MARBURGI,

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS. MDCCCXXXVI.

In iis quae nuper indicendorum Augustissimi Electoris natalium causa de vestigiis institutorum veterum, imprimis Atticorum, per Platonis de Legibus libros indagandis disputavimus, et alia multa spatii temporisque angustiis coacti aut neglleximus aut leviter tantum atque in transcursu attigimus, quo olim fortasse majore otio et cura redire licebit; gravissimum autem locum, qui est de jure domestico et familiari, ita distulimus, ut integrum propediem nos tractaturos esse polliceremur. Sperabamus enim fore, ut hoc quoque anno Serenissimi Principis, cui ab Augustissimo Patre imperii habenae commissae sunt, natales debita cum gratulatione ac pietate celebrandi redirent; quem quum Divini Numinis clementia ad hunc usque diem salvum sospitemque videre contigerit, faustissima occasione ad id quod promisimus persolvendum uti non detrectabimus. Quoniam autem in singulari hoc argumento latius exspatiari licet, non in eo modo consistemus, ut jus Atticum ex Platone illustremus, sed omnino Platonis leges, quae quidem ad familias regendas et successionem in bona defunctorum pertinent, succincta enarratione comprehendemus; quo facto etiam similitudines aeque ac discrimina, quae illis cum reliquis veteris Graeciae institutis intercedunt, sponte sua prodibunt.

Neque enim ullo in loco clarius apparet singularis legum Platonis indoles, quem jam in superiore disputatione monuimus non magis domesticas quam publicas res arbitrio singulorum permittere, sed utrumque genus pariter certis finibus describendum censere, ne quis ullo tempore obsequii et disciplinae immemor sibi prius quam communi rei vivere discat, et licentia, qua nihil civitati perniciosius esse potest, consuetudinis potius vi leni atque aequabili quam externis et temporariis imperiis reprimatur [1]; quod etsi legibus non semper effici posse intellexit, eodem tamen, modo universa civitas prudenter çonstituta fuerit, morum praeceptis et pudore quodam perveniri sperat [2]. Ipsa igitur matrimonia, unde totius rei domesticae initium ducitur, non ut sibi sed ut patriae maxime expediat, cives inire jubet [3], neque quidquam antiquius in re publica constituenda habendum existimat [4]. Atque illud quidem e communi Graecorum usu instituit, ut in diebus festis juvenum et puellarum chori simul in

---

1) Legg. VI, p. 780 A: *ὅςτις δὴ διανοεῖται πόλεσιν ἀποφαίνεσθαι νόμους πῇ τὰ δημόσια καὶ κοινὰ αὐτοὺς χρὴ ζῆν πράττοντας, τῶν δὲ ἰδίων ὅσον ἀνάγκη μηδὲ οἴεται δεῖν, ἐξουσίαν δὲ ἑκάστοις εἶναι τὴν ἡμέραν ζῆν ὅπως ἂν ἐθέλῃ, καὶ μὴ πάντα διὰ τάξεως δεῖν γίγνεσθαι, προέμενος δὲ τὰ ἴδια ἀνομοθέτητα ἡγεῖται τά γε κοινὰ καὶ δημόσια ἐθελήσειν αὐτοὺς ζῆν διὰ νόμων, οὐκ ὀρθῶς διανοεῖται:* cf. XII, p. 942 A.

2) Ibid. VI, p. 773 D: *τούτων δὴ χάριν ἐᾷν μὲν νόμῳ τὰ τοιαῦτα ἀναγκαῖον, ἐπᾴδοντα δὲ πείθειν πειρᾶσθαι . . καὶ δι' ὀνείδους ἀποτρέπειν, ἀλλὰ μὴ γραπτῷ νόμῳ βιαζόμενον:* cf. sup. disput. n. 51 et 52.

3) Ibid. VI, p. 773 B: *καὶ κατὰ παντὸς εἷς ἔστω μῦθος γάμου· τὸν γὰρ τῇ πόλει δεῖ συμφέροντα μνηστεύειν γάμον ἕκαστον, οὐ τὸν ἥδιστον αὐτῷ.*

4) Ibid. IV, p. 721 A: *γαμικοὶ δὴ νόμοι πρῶτοι κινδυνεύουσι τιθέμενοι καλῶς ἂν τίθεσθαι πρὸς ὀρθότητα πάσῃ πόλει.*

medium procedant inter seque spectantes animis designent, quem sibi quisque potissimum ad vitae consortium convenire arbitretur [5]; delectum autem non ita, ut plerumque fiat, haberi vult, ut sui quisque simillimum sectetur [6], sed ut sapienti contrariorum temperamento et permistione in tanta singulorum differentia aliqua saltem universorum aequabilitas servetur; quod quum in reliqua despondendorum indole moribusque, tum maxime in rei familiaris modo commendat, ne divitiae divitiis cumulatae majorem semper bonorum inaequalitatem in civitate efficiant. Quanquam haec omnia non tam legibus imperanda quam suadendo et contraria reprehendendo in consuetudinem vertenda esse censet; dotes tantum, Lycurgi exemplum secutus, vel constitui vel accipi gravi mulcta proposita vetat [7]; ea vero, quae ad ipsam generis propagationem spectant, non modo hortatibus acerrime inculcat [8], verum etiam legibus ita sancit, ut vel Lacedaemoniorum diligentiam in hac causa superet. Coelibes quidem jam in superiore disputatione monui fere eodem exemplo apud ipsum

---

5) Ibid. VI, p. 771 E; cf. V, p. 738 D et Xenoph. Ephes. I, 2.

6) Philosophi quoque commendarunt *γαμεῖν ἐκ τῶν ὁμοίων*, ut Cleobulus apud Diog. L. I, 92 et Pittacus apud eundem I, 80: *τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα:* cf. Aeschyl. Prometh. v. 890: *ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν ἀριστεύει μακρῷ*, et Ovid. Heroid. IX, 29: *Quam male inaequales veniunt ad aratra juvenci, tam premitur magno conjuge nupta minor.* Propius ad Platonem accedunt Juven. Satir. XI, 29 et Callicratidas Pythagoricus apud Stob. Floril. LXXXV, 18, p. 182 Gaisford.

7) Cf. sup. disput. n. 78 et Plut. Apophth. Lacc. T. VIII, p. 223 sqq. Hutt.

8) Legg. IV, p. 721 C; VI, p. 773 E; cf. Sympos. p. 208 B.

puniri [9], quos et honoribus privat, quibus alioquin seniores a junioribus coli jussit, et mulcta afficit, quam scite Clemens Alexandrinus quasi impensarum instar esse ait, quas uxori maritus impendere debeat [10]; neque aetatis termini, intra quos matrimonium jungi oportuerit, Spartae minus accurate quam apud Platonem descripti fuisse videntur [11]; quod autem nuptis quoque quasi custodes quos–

9) Plura dabit Osannus in comm. de coelibum apud veteres populos conditione, Gissae 1827. 4, p. 4 sqq.

10) Clem. Alex. Stromatt. II, p. 423 A: *ὁ δὲ γενναῖος Πλάτων καὶ τροφὴν γυναικὸς ἀποτίνειν εἰς τὸ δημόσιον κελεύει τὸν μὴ γήμαντα καὶ τὰς καθηκούσας δαπάνας ἀποδιδόναι τοῖς ἄρχουσιν· εἰ γὰρ μὴ γήμαντες οὐ παιδοποιήσουσι, καὶ καταλύσουσι τάς τε πόλεις καὶ τὸν κόσμον τὸν ἐκ τούτων, τὸ δὲ τοιοῦτον ἀσεβὲς, θείαν γένεσιν καταλυόντων.*

11) Cf. Lycurgi dictum in Plut. Apophth. Lacc. T. VIII, p. 224: *ὁρίσαντος δ' αὐτοῦ καὶ τὸν χρόνον τῶν τε γαμουμένων καὶ τῶν γαμούντων, πρὸς τὸν ζητοῦντα, ἵν' ἔφη τὰ γεννώμενα ἰσχυρὰ ᾖ ἐκ τελείων γεννώμενα:* quem quod Osannus l. l. p. 8 non certum tempus praefiniisse vult, sed illud tantum sanxisse, quod Xenophon ait de Republ. Lac. I, 6: *ἐν ἀκμαῖς τῶν σωμάτων τοὺς γάμους ποιεῖσθαι* — diversam enim pro cujusque natura maturitatem fuisse — non satis perpendit quod apud ipsum Platonem legitur de Republ. V, p. 460 E: *ἆρ' οὖν συνδοκεῖ μέτριος χρόνος ἀκμῆς τὰ εἴκοσιν ἔτη γυναικὶ, ἀνδρὶ δὲ τὰ τριάκοντα;* ut mittam Aristotelem, qui iisdem terminis quibus noster in Legibus aetatis vigorem comprehendit Rhetor. II, 14. 4: *ἀκμάζει δὲ τὸ μὲν σῶμα ἀπὸ τῶν τριάκοντα ἐτῶν μέχρι τῶν πέντε καὶ τριάκοντα.* Cf. Legg. IV, p. 721 B et VI, p. 785 B, quibus ne quis illud contradicere existimet, quod p. 772 D ait: *ὁπότε τις οὖν καὶ ὁπηνίκα τῶν πέντε καὶ εἴκοσι γεγονότων ἔτη σκοπῶν τε καὶ σκοπούμενος . . . ἐξευρηκέναι πιστεύει, γαμείτω μὲν πᾶς ἐντὸς τῶν πέντε καὶ τριάκοντα ἐτῶν,* tenendum est, illic de circumspiciendis potius quam contrahendis nuptiis sermonem esse, similisque ratio est ei, qua Athenis juvenes duodeviginti quidem annos natos inter cives relatos, tamen vicenarios demum ad concionem admissos esse constat; inter vicesimum quintum enim et tricesimum annum Plato ipsam illam *κρυπτείαν* collocat, quam in sup. disp. p. 31 cum *περιπόλοις* Atticis comparavi. Obiter moneo apud Aristot. Politic. VII, 14. 6 pariter legendum videri *διὸ τὰς μὲν ἁρμόττει περὶ τὴν ὀκτωκαίδεκα ἐτῶν ἡλικίαν συζευγνύναι, τοὺς δὲ περὶ τὰ τριάκοντα:* vulgo inepte *τοὺς δ' ἑπτὰ καὶ τριάκοντα.*

dam magistratuum ex numero addit, feminas pariter maresque, qui concordiae conjugum prospiciant eosque debiti conjugalis admoneant contumacesque publicis tabulis proscribant [12], ita comparatum est, ut ad Lacedaemoniorum δίκην μονοδιαιτησίας referri nequeat [13], neque meliorem explicationem habeat, quam ut ἐπικλήρων curam, quam Athenis quoque magistratibus mandatam fuisse constat [14], philosophum ad omne matrimoniorum genus transtulisse dicamus. Idem tamen, ne ultra modum civium numerus augeatur, tempus liberorum quaerendorum, nisi sterilitas intercesserit, decennio circumscribit [15], adeoque sufficere censet, si quis vel duo tantum liberos, filium filiamque susceperit [16]; tot certe qui habeat, negat esse cur prima uxore mortua alteram ducat, quae illis pro noverca sit; quod etsi non tantis quantis Charondas poenis sanxerit [17], sed dissuadendum potius quam praecise negandum esse duxerit, satis tamen clare

12) Legg. VI, p. 784.

13) Cf. Clem. Alex. l. l. p. 423 A.

14) Cf. Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 121, n. 11.

15) Legg. VI, p. 784 B: ἡ δὲ παιδοποιία καὶ φυλακὴ τῶν παιδοποιουμένων δεκέτις ἔστω κ. τ. λ. Viginti annos liberis procreandis permittit Plato in Republ. V, p. 460 E, unde tamen inconsulte egit Astius, Plat. L. u. Schr. p. 386, quum argumentum contra Legum auctoritatem depromeret; qui primum quidem in eo lapsus est, quod contrahendorum matrimoniorum tempus illic describi censuit (cf. Dilthey p. 36 sq.), deinde vero non perpendit, in Reipublicae libris, ubi liberi omnibus civibus communes esse jubentur, non esse cur sobolis augmenta tanta cum sollicitudine reprimantur.

16) Legg. XI, p. 930 C; cf. sup. disput. n. 82. Non satis merito Platonem reprehendit Aristot. Politic. II, 3. 6.

17) Cf. Diodor. XII, 12.

significavit, nullas sibi secundas nuptias probari, nisi quae reparandae priorum sterilitatis causa ineantur [18]. Concubinarum autem consuetudine civibus suis tanta cum severitate interdixit, ut eum qui alia muliere utatur praeter illam, quam cum diis sacrisque nuptialibus domum suam duxerit [19], perinde ac peregrinum omni honorum communione privet, progeniem vero, nisi quis cum alieno mancipio rem habuerit, cujus partum ipsius domino accrescere communi antiquitatis jure oportebat, una cum matre extra fines proturbari jubeat [20]; unde fit, ut nulla apud ipsum spuriorum mentio exstet, quorum conditio in reliquis Graeciae civitatibus haud exiguas difficultates legum latoribus creasse videtur.

Hactenus de maribus; feminarum notum est Platonem quantum fieri posset eandem cum maribus fortunam esse voluisse [21]; quod tamen quum ipse non semper pari cum illis diligentia persecutus sit, nobis nunc verbo attigisse sufficiat; comparationis utique cum aliorum Graecorum institutis in tanta rationum differentia sola sponsalia idoneam materiam praebent. Quod enim maribus tribuerat,

18) Legg. XI, p. 930 B.

19) Ibid. VIII, p. 841 D: *ἄθυτα παλλάκων σπέρματα καὶ νόθα μὴ σπείρειν . . εἴτις συγγίγνοιτό τινι πλὴν ταῖς μετὰ θεῶν καὶ ἱερῶν γάμων ἐλθούσαις εἰς τὴν οἰκίαν, ὠνηταῖς ἢ καὶ ἄλλῳ ὁτωοῦν τρόπῳ κτηταῖς . . τάχ' ἂν ἄτιμον αὐτὸν τῶν ἐν τῇ πόλει ἐπαίνων νομοθετοῦντες ὀρθῶς ἂν δόξαιμεν νομοθετεῖν, ὡς ὄντως ὄντα ξενικόν*, ubi ne quis *ἱερῶν γαμικῶν* vel *γαμηλίων* corrigendum censeat, cf. Lex. Rhetor. pone Phot, Pors. p. 670: *οἱ γαμοῦντες ποιοῦσι τῷ Διὶ καὶ τῇ Ἥρᾳ ἱεροὺς γάμους.*

20) Legg. XI, p. 930 D.

21) Legg. VII, p. 794 sqq.

ut uno eodemque aetatis anno tricesimo simul et sui juris fierent et matrimonii ineundi potestatem acciperent, hoc certe in mulieres transferre non poterat, quas quum maritari quidem inter decimum sextum et vicesimum aetatis annum vellet, negotiorum autem gerendorum auctoritatem quadragenariis demum permitteret [22], desponderi saltem puellas aliena auctoritate necesse erat. Atque hac in causa fere eundem ordinem secutus est, quem et Athenis obtinuisse novimus [23] et universae Graeciae communem fuisse veri simile est [24], nisi quod matrem maternosque cognatos adjungendo feminini generis aequalitatem quodam modo restituit [25]; reliqua Soloniam legem vel illustrare arbi-

22) Ibid. VI, p. 785 B; cf. XII, p. 937 A, ubi tamen illud animadvertendum est, quod *δίκην λαγχάνειν* ita tantum mulieri permittit, *ἐὰν ἄνανδρος ᾖ*: nuptae igitur et ipse maritum *κύριον* esse vult; cf. Schömann's Att. Process p. 556.

23) Cf. Petiti Legg. Att. VI, 1. 4, p. 436 sqq. et plura in Lehrbuch cit. §. 119, n. 6 et 7.

24) Cf. Gans Erbrecht in weltgeschichtl. Entwickelung T. I, p. 299.

25) Legg. VI, p. 774 E: *ἐγγύην δὲ εἶναι κυρίαν πατρὸς μὲν πρῶτον, δευτέραν πάππου, τρίτην δὲ ἀδελφῶν ὁμοπατρίων· ἐὰν δὲ μηδὲ εἷς ᾖ τούτων, τὴν πρὸς μητρὸς μετὰ τοῦτο εἶναι κυρίαν ὡσαύτως· ἐὰν δ᾽ ἄρα τύχη τις ἀήθης συμβαίνῃ, τοὺς ἐγγύτατα γένους ἀεὶ κυρίους εἶναι μετὰ τῶν ἐπιτρόπων.* Unum restat discrimen cum lege Attica apud Demosth. adv. Steph. II, p. 1134, quod illic frater avum antecedit, apud Platonem sequitur; quod si quis fortuitum existimet, librariorum certe culpae tribui non potest, quum idem ordo in altero Demosthenis loco exstet adv. Leochar. p. 1095. 7: *καὶ ὁ νόμος ταῦτα μαρτυρεῖ λέγων, ἣν ἂν ἐγγυήσῃ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ἢ πάππος, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους*: sed vide ne Plato seniori plus tribuendum putaverit quam Solo, praesertim quum fratrem etiam multo serius apud Platonem quam Athenis in suam tutelam pervenire videamus, nec patrimonium nisi mortuo avo ad posteros transire possit; Athenis nullus dubito quin frater, qui sui juris paternorumque bonorum compos esset, avum in despondenda sorore antecesserit.

tror, si quidem tutorum mentio, quae in illa miro dicendi genere obscurata est, apud Platonem clarissime exstat, nec dubitari potest, quin Athenis quoque patre atque avo fratribusque mortuis puella in ejus potissimum potestate fuerit, cujus tutelae ab eo, qui novissime decessisset, commissa esset [26]. Disciplina autem muliebris, quam in plerisque Graeciae civitatibus peculiari magistratuum generi commissam

---

26) **Verba legis haec sunt:** *ἣν ἂν ἐγγυήσῃ ἐπὶ δικαίοις δάμαρτα εἶναι ἢ πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους· ἐὰν δὲ μηδεὶς ᾖ τούτων, ἐὰν μὲν ἐπίκληρός τις ᾖ, τὸν κύριον ἔχειν, ἐὰν δὲ μὴ ᾖ, ὅτῳ ἂν ἐπιτρέψῃ, τοῦτον κύριον εἶναι:* **quorum quum jam universum sensum Petitus recte reddidisset:** ***si orba** (ἐπίκληρος) **non sit, tutor*** *eam desponsato,* **in alia omnia abiit Salmasius de modo usur. p. 168, qui tutoris mentionem aspernatus eum** *κύριον* **esse vult,** *cui vir moriens testamento uxorem suam reliquerit ac nuptum dederit,* **eumque secutus est Wesseling. ad Petit. p. 535; his deinde refutatis Hefferus athen. Gerichtsverf. p. 73 cum Reiskio (in Schaeferi Appar. crit. et exeg. T. V, p. 210) et Platnero (Beiträge zur Kenntniss d. att. Rechts p. 118) puellae ipsi jus tutoris eligendi tribuit; postremo Platnerus ipse (Proc. u. Kl. T. II, p. 250) sententia sua retractata hanc legis mentem fuisse statuit, ut pauper puella, quippe quae** *ἐπίκληρος* **non esset, ei matrimonio jungeretur, cui eam proximus agnatus despondisset. Atque hic quidem cum Salmasio et Müllero recte intellexit, subjectum ejus quod est** *ἐπιτρέψῃ* **mulierem esse non posse, sed ex antecedentibus repeti debere; illa vero** *ἐὰν δὲ μὴ ᾖ* **prudenter cum Schaefero ad** *ἐπίκληρον* **retulit; ex reliquis autem primum hoc concedere nequeo, eam quae** *ἐπίκληρος* **non sit, pauperem esse, sed eam intelligo, cujus frater filios in aliena tutela reliquerit, qui etsi bona hereditaria acceperint,** *κύριοι* **tamen mulieris esse non possint; deinde vero nego vel** *ἐπιτρέπειν* **despondendi vim habere, vel** *κύριον* **nunc, quum non de ducenda sed de despondenda puella agatur, maritum potius quem tutorem significare; nam quod paulo ante** *κύριος* **eam ipse ducere jubetur, singulare est.** *Κυρίου* **autem nomen** *ἐπιτρόπῳ* **quoque convenire, quatenus parentis loco et potestate sit, et aliis locis probatur, quos congessit Schmeisser de re tutelari Atheniensium p. 11, et insignissimo Aeschinis adv. Timarch. §. 13:** *πατὴρ ἢ ἀδελφὸς ἢ θεῖος ἢ ἐπίτροπος ἢ ὅλως τῶν κυρίων τις:* **neque minus mulierum quam impuberum** *ἐπιτρόπους* **esse potuisse, quod negare videtur Klenze in Zeitschr. f. geschichtl. Rechtsw. T. VI, p. 81, Platonis locus clare ostendit, ut mittam Isaeum de Philoctem. §. 14 et 17.**

esse constat [27], Platoni non diversa est ab ea, qua universam civitatem severissime adstringit, neque quidquam eorum invenimus, quae Athenis ad *γυναικονόμων* curam pertinuisse traduntur, nisi quod convivarum numerum in nuptiis certo modo et ipse circumscribit [28]; in quotidiana vita uxores una cum maritis et syssitiis [29] et exercitationibus bellicis [30] interesse jubet, eaque re non modo a reliquorum Graecorum moribus discedit, quos muliebre genus omnino domorum finibus inclusisse constat [31], verum etiam Lacedaemoniorum exemplum relinquit, qui etsi virgines iisdem quibus juvenes artibus educarent [32], nuptas tamen vitam domesticam agere permiserunt et quasi disciplina publica solverunt [33], unde identidem queritur factum esse, ut viri tantum verecundia et obsequio conspicui essent, mulieres

---

27) Cf. Schubert de Aedilibus p. 68–72.

28) Legg. VI, p. 775 A; cf. Athenaeus VI, 46, p. 245 B: *ὅτι δ' ἦν ἔθος τοὺς γυναικονόμους ἐφορᾷν τὰ συμπόσια καὶ ἐξετάζειν τῶν κεκλημένων τὸν ἀριθμὸν, εἰ κατὰ νόμον ἐστὶ κ. τ. λ.*

29) Legg. VI, p. 780 B; cf. VII, p. 806 E.

30) Ibid. VII, p. 804 E sqq.

31) Cf. Plat. Republ. IX, p. 579 C: *καταδεδυκὼς ἐν τῇ οἰκίᾳ τὰ πολλὰ ζῇ ὥςπερ γυνή*: Phintys apud Stob. Floril. LXXIV. 61, p. 83 Gaisf.: *ἴδια δὲ γυναικὸς τὸ οἰκουρὲν καὶ ἔνδον μένεν καὶ ἐκδέχεσθαι καὶ θεραπεύεν τὸν ἄνδρα*: Philo de Legg. Spec. p. 803 C: *θηλείας δὲ οἰκουρία καὶ ἔνδον μονή, παρθένοις μὲν εἴσω κλισιάδων, τὴν μεσαύλιον ὅρον πεποιημέναις, τελείαις δ' ἤδη γυναιξὶ τὴν αὔλειον.*

32) De re notissima cf. Müller's Dorier T. II, p. 314. Eadem Plato VIII, p. 833 D sqq., sed ut *πρεπούσῃ στολῇ ἐσταλμένας* in certamina descendere jubeat, non nudas ut Lacaenas.

33) Cf. Dionys. Hal. Exc. Archaeol. Rom. XX, 2: *τῶν δὲ κατ' οἰκίαν γενομένων οὔτε πρόνοιαν οὔτε φυλακὴν ἐποιοῦντο, τὴν αὔλειον θυρὰν ἑκάστου ὅρον εἶναι τῆς ἐλευθερίας τοῦ βίου νομίζοντες.*

autem procacitate et intemperantia reliquas Graecas longe superarent [34]. Neque in liberis educandis eum Lacedaemoniorum rationes omnino probasse jam in superiore disputatione significavi; quorum instituta ut in aliis multis, quae ad morum disciplinam pertinent, studiose sequitur, ita in hoc acerrime reprehendit, quod corpora magis quam ingenia puerorum excolerent [35]; ipse vero vel pluribus artibus, quam quae vulgo Graecorum pueri addiscerent, juventutem erudiendam censet [36], earumque magistros, quod ante ipsum unum Charondam instituisse audimus [37], etiam publicis impensis conduci jubet [38]; in eo tantum Lacedaemoniorum quoque similis, quod non arbitrio parentum relinquit, quae suos quique liberos discere cupiant, sed eadem omnes scholarum frequentandarum necessitate compre-

---

34) Cf. disput. sup. n. 55 et Lehrbuch cit. §. 26, n. 20.

35) Cf. disput. sup. n. 57.

36) Legg. VII, p. 817 E: *ἔτι δὲ τοίνυν τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶ τρία μαθήματα, λογισμοὶ μὲν καὶ τὰ περὶ ἀριθμοὺς ἓν μάθημα, μετρητικὴ δὲ μήκους καὶ ἐπιπέδου καὶ βάθους ὡς ἓν αὖ δεύτερον, τρίτον δὲ τῆς τῶν ἄστρων περιόδου πρὸς ἄλληλα ὡς πέφυκε πορεύεσθαι:* cf. Republ. VII, p. 536 D. Harum enim artium ignorantiam etiam alias popularibus suis exprobravit; cf. Plutarch. de Genio Socratis c. 7.

37) Diodor. XII, 12: *ἐνομοθέτησε γὰρ τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν γράμματα χορηγούσης τῆς πόλεως τοὺς μισθοὺς τοῖς διδασκάλοις.* Apud reliquos enim Graecos etsi communiter pueri instituerentur, privatorum tamen opera ii ludi instituti erant, publicas scholas non novimus; cf. Hegewisch, ob bei den Alten öffentliche Erziehung war? Altona 1811. 8, et Koenig de publica educatione in Opusec. p. 66 sq. et 81 sq.

38) Legg. VII, p. 804 C, ubi tamen cavendum est ne quis cum Kappio (Platon's Erziehungslehre p. 42) ex nostro loquendi usu *besoldete Lehrer* inveniri sibi videatur; peregrinos enim quasi opifices mercede conductos Plato dicit, *πεπεισμένους μισθοῖς οἰκοῦντας ξένους*, quos quasi *βαναύσους* civium ex numero capi vetat.

hendit [39]. Hoc enim summum Platoni in rebus domesticis esse vidimus, ut quae quis habeat, non sibi sed patriae deberi sciat; neque alia liberorum causa est, quos ut procreare parentes non sua magis quam rei publicae causa jusserat, ita neque uti procreatis pro suis permittit; unde omnino sequitur, ut patriae potestatis, quae apud reliquos quoque Graecos, si cum Romanis comparaveris, satis exigua est [40], fere nullum apud ipsum vestigium appareat, atque ea quoque, quae juvenilis licentiae coërcendae causa institui oporteat, in medio ponantur neque aut negligentiae aut tristitiae parentum locus relinquatur. Et universae quidem educationi unum ex nomophylacibus praeficit [41], quem haud scio an satis commode cum Lacedaemoniorum παιδονόμῳ

39) Ibid. p. 804 D: *οὐχ ὃν μὲν ἂν ὁ πατὴρ βούληται φοιτῶντα, ὃν δ'ἂν μή, ἐῶντα τῆς παιδείας, ἀλλὰ τὸ λεγόμενον πάντ' ἄνδρα καὶ παῖδα κατὰ τὸ δυνατόν, ὡς τῆς πόλεως μᾶλλον ἢ τῶν γεννητόρων ὄντας, παιδευτέον ἐξ ἀνάγκης.* **Aqud Lacedaemonios eum, qui communis disciplinae particeps non fuisset, ne civitatis quidem optimo jure usum esse, monui in disp. de Homocis p. 16 sqq. et in Lehrbuch cit. §. 25, n. 18; magistri tamen apud hos neque publici neque privati apparent, sed prout natura ferebat, inter se instituebant; cf. Aristot. Politic. VIII, 3. 3:** *νῦν μὲν οὖν αἱ μάλιστα δοκοῦσαι τῶν πόλεων ἐπιμελεῖσθαι τῶν παίδων αἱ μὲν ἀθλητικὴν ἕξιν ἐμποιοῦσιν . . οἱ δὲ Λάκωνες ταύτην μὲν οὐχ ἥμαρτον τὴν ἁμαρτίαν, θηριώδεις δ'ἀπεργάζονται τοῖς πόνοις:* **pluraque apud Ad. Cramer. de educ. puer. apud Athen. p. 36.**

40) Cf. Dionys. Hal. Arch. Rom. II, 26: *οἱ μὲν γὰρ τὰς Ἑλληνικὰς καταστησάμενοι πολιτείας βραχύν τινα κομιδῆ χρόνον ἔταξαν ἄρχεσθαι τοὺς παῖδας ὑπὸ τῶν πατέρων . . . τιμωρίας δὲ κατὰ τῶν παίδων ἔταξαν, ἐὰν ἀπειθῶσι τοῖς πατράσιν, οὐ βαρείας, ἐξελάσαι τῆς οἰκίας ἐπιτρέψαντες αὐτοὺς καὶ χρήματα μὴ καταλιπεῖν, περαιτέρω δὲ οὐδέν:* **cf. et Aristot. Politic. I, 5. 2 pluraque apud Meierum de bon. damn. p. 27 et Platnerum Proc. u. Kl. T. II, p. 242.**

41) Legg. VI, p. 766 C; cf. VIII, p. 829 D et p. 835 A, ubi *παιδευτοῦ* nomine eum appellat.

comparare liceat [42]), praetereaque illud ad Lacedaemonis exemplum instituit, quod jam in superiore disputatione attigi, ut adolescentes unicuique, qui natu major esset, tanquam parenti obsequium praestarent senioresque vel castigandi jure adversus juniorum lasciviam uterentur [43]); abdicandi autem potestatem ne parentibus quidem solis concessit, ne quis iracundia concitatus hominem juvenem, qui olim fortasse ad bonam frugem redire posset, domo simul ac civitate exturbaret, sed primum quidem propinquorum consilium adhiberi jussit, quorum suffragiis de fortuna hominis decerneretur, abdicatum autem, si quis sibi adoptare vellet, non prohibuit, eum demum, qui intra decennium a nemine in familiam reciperetur, una cum iis, qui propter fratrum numerum proprii patrimonii expertes essent, in colonias exsulatum ablegavit [44]). Simili cautione in divortiis utitur, quae ita tantum fieri permittit, ubi decem ex nomophylacum totidemque ex muliebrium magistratuum numero selectae frustra dissidia componere tentaverint, ac ne sic quidem simpliciter inter se disjungi patitur, sed utrique novum conjugem addit, qui ferocem ejus animum

---

42) Xenoph. Rep. Lac. II, 2: *ὁ δὲ Λυκοῦργος ἀντὶ μὲν τοῦ ἰδίᾳ ἑκάστῳ παιδαγωγοὺς δούλους ἐφιστάναι ἄνδρα ἐπέστησε κρατεῖν αὐτῶν, ἐξ ὧνπερ αἱ μέγισται ἀρχαὶ καθίστανται, ὃς δὴ καὶ παιδονόμος καλεῖται.* Eundem Plutarchus quoque V. Lycurg. c. 17 *ἐκ τῶν καλῶν κἀγαθῶν ἀνδρῶν* lectum esse tradit; sed haud scio an longius etiam procedere eumque senatorum ex numero fuisse Platone duce statuere liceat. Paedagogis tamen Plato in singulis regendis carere noluit; cf. Legg. VII, p. 808 D et Kapp. l. l. p. 43 sq.

43) Cf. VII, p. 808 E et sup. disp. n. 76.

44) Legg. XI, p. 929; cf. Gans Erbrecht T. I, p. 323.

comprimere et continere valeat [45]; sterilitatis tantum causa magistratus ipsos, ubi ita visum fuerit, matrimonia dirimere et quid cuique conveniat providere jubet [46].

Haec igitur omnia ab Attico jure prorsus aliena sunt, quod et patribus filios, quando vellent, abdicare [47] et maritis uxores repudiare [48] permisit; illud demum propius accedit, quod similem liberis adversus parentes desipientes actionem dari apud Platonem videmus [49], qualem Athenis fuisse satis constat [50]; verum hanc quoque vel lege vel pudore ita temperat, ut filius maximos natu ex nomophylacibus antea adeat eorumque consilio atque auctoritate patrem reum agat. Ei demum, qui ita condemnatus sit, familiae regendae jure interdicit eumque pueri instar in posterum in aliena

45) Legg. XI, p. 930.

46) Ibid. VI, p. 784 B.

47) Hoc vel ex ipsis Platonis verbis prodit p. 928 D, ubi exprobrat vulgo hominum, quod *ἡγοῖντ' ἂν δεῖν τὸν νομοθέτην νομοθετεῖν ἐξεῖναί σφισιν ἐὰν βούλωνται τὸν υἱὸν ὑπὸ κήρυκος ἐναντίον ἁπάντων ἀπειπεῖν υἱὸν κατὰ νόμον μηκέτι εἶναι*: confirmaturque Demosthenis loco adv. Boeot. p. 1006, 20: *εἰ δ' ὁ νόμος . . τοὺς γονέας ποιεῖ κυρίους οὐ μόνον θέσθαι τοὔνομα ἐξ ἀρχῆς ἀλλὰ καὶ πάλιν ἐξαλεῖψαι ἐὰν βούλωνται καὶ ἀποκηρῦξαι*: cujus enim rei aliquis *κύριος* est, ab aliena auctoritate pendere nequit, mirorque viros doctos, quorum nomina posui in Lehrbuch cit. §. 122, n. 11, Luciano auctore de judicum cognitione cogitare.

48) Cf. Lehrbuch §. 122, n. 4 et Gans Erbrecht T. I, p. 311.

49) Legg. XI, p. 929 D.

50) Cf. Meier's att. Process p. 296, cui tamen illud concedere nequeo, quod quum publicis hanc actionem accenseat, Platoni testimonium denunciat; hujus enim verba: *υἱεῖς δ' αὖ σφισὶ πατέρας ὑπὸ νόσων ἢ γήρως διατιθεμένους αἰσχρῶς ἐξεῖναι παρανοίας γράφεσθαι*, nihil probant, si quidem ipso Meiero teste p. 198 *γράφεσθαι* interdum etiam de *δίκαις* usurpatur. Veram autem actionem fuisse non negem cum Platnero p. 213.

potestate esse jubet, quem eundem Athenis illius actionis effectum fuisse et vetus grammatici testimonium [51] et Romani juris comparatio suadet [52]; furentem certe vel in vincula conjici licuisse legimus [53], quod quum Plato propinquis etiam concedat adeoque mulcta proposita injungat [54], vide ne illa quoque lex Athenis Romam transierit [55], quae, si quis furiosus esset, agnatis gentilibusque in eum pecuniamque ejus potestatem dedit. Filium autem, qui pietatem erga parentes violasset, vix decerni potest utrum philosophus an Atheniensium legislator majore cum acerbitate persecutus sit; quorum alter capitis diminutione impios punivit [56], alter, qui *ἀτιμίαν* juris Attici non adscivit, poenam arbitrio judicum permisit, sed ut nihil supplicii praetermittendum esse adderet, quod quidem pati homo

51) In Bekkeri Anecdd. T. I, p. 310. 3, qui quod *παρανοίας ἐπιδικασίαν* appellat, mihi secus ac Meiero p. 296 satis accurate loqui videtur; patris enim, qui causa cecidisset, bona filio victori adjudicabantur, ut ex Platone quoque apparet: *ὁ δὲ ὄφλων τοῦ λοιποῦ χρόνου ἄκυρος ἔστω τῶν αὐτοῦ καὶ τὸ σμικρότατον διατίθεσθαι, καθάπερ παῖς δὲ οἰκείτω τὸν ἐπίλοιπον βίον:* cf. Gans l. l, p. 324; publicam autem actionem fuisse non intelligo quomodo hinc Meierus colligere sibi visus sit.

52) Cicero de Senect. c. 7: *a filiis in judicium vocatus est, ut, quemadmodum nostro more male rem gerentibus patribus bonis interdici solet, sic illum quasi desipientem á re familiari removerent judices.*

53) Cf. Xenoph. Mem. Socr. I, 2. 49.

54) Legg. XI, p. 934 D.

55) Apud Cic. de Invent. II, 50; cf. Dirksen's Zwölf-Tafel-Fragmente p. 369 sqq. et Heineccii Syntagma I. 23, 2, p. 224 sq.

56) Praeter Meierum de bonis damn. p. 127 cf. Jani Pan diss. de grati animi officiis ingratorumque poena jure Attico et Romano p. 25 sqq. et Lelyveld de infamia p. 144 sqq.

posset [57]; tricenario tantum vel si mulier fuerit quadragenaria minores verberibus potius vinculisque castigandos quam supplicio afficiendos censet. Hos enim superius vidimus apud ipsum nondum sui juris haberi, quorum tamen Athenis quoque aliam conditionem fuisse consentaneum est; utque in judiciorum forma aliisque multis suae potius quam Atheniensium rei publicae indolem eum secutum esse concedamus, illud certe utriusque commune est, quod non parentibus solis, sed cuivis *κακώσεως* persequendae potestatem tribuunt [58]; neque hoc Athenas transferre dubito, quod Plato addit, servo, qui in ejusmodi causa indicium fecerit, libertatem publice deberi [59]. In eo tantum magis philosophum quam legislatorem agit, quod liberorum officia, quae parentibus praestare debeant, non certis actionibus describit, sed ad omnia quibus vita humana continetur extendit: Solonis certe legibus, etsi omnino prohibitum volebant, quominus ingrati in parentes liberi exsisterent [60], tamen hoc imprimis cautum

57) Legg. XI, p. 932. Filium, qui parentes verberarit, perpetuo exsilio afficit IX, p. 881.

58) Ibidem p. 932 D: *ἐὰν δέ τις ἀδυνατῇ κακούμενος φράζειν, ὁ πυθόμενος τῶν ἐλευθέρων ἐξαγγελλέτω τοῖς ἄρχουσι:* cf. Harpocr. p. 160: *ὅτι δὲ ἐξῆν καὶ παντὶ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι κακώσεως γονέων . . δηλοῦται ἔν τε τῷ προειρημένῳ λόγῳ Ὑπερίδου κ. τ. λ.* et Meier's att. Process p. 291.

59) Legg. IX, p. 881 C; XI, p. 932 D: *ἐὰν δὲ δοῦλος μηνύσῃ, ἐλεύθερος ἔστω, καὶ ἐὰν μὲν τῶν κακούντων ἢ κακουμένων δοῦλος, ὑπὸ τῆς ἀρχῆς ἀφείσθω, ἐὰν δέ τινος ἄλλου τῶν πολιτῶν, τὸ δημόσιον ὑπὲρ αὐτοῦ τιμὴν τῷ κεκτημένῳ καταβαλλέτω.*

60) Xenoph. Mem. Socr. II, 2. 13: *οὐκ οἶσθα ὅτι ἡ πόλις ἄλλης μὲν ἀχαριστίας οὐδεμιᾶς ἐπιμελεῖται οὐδὲ δικάζει . . ἐὰν δέ τις γονέας μὴ θεραπεύῃ, τούτῳ δίκην γε ἐπιτίθησι;* cf. Lucian,

fuisse videtur, ne quis parenti aut manus inferret, aut alimenta, domum resque ad victum necessarias egenti decrepitove praestare detrectaret, aut denique mortuo justa facere negligeret [61]; Plato autem et haec omnia et quaecunque praeterea filio suppetant, fortunas, corpus, ipsam postremo vitam parentibus deberi statuit, vetatque ne quis vel liberos reliquamque progeniem vel se ipsum parentibus antiquiorem habeat iisque omnium suorum potestatem facere ac desideria eorum explere dubitet [62], quo in genere quidquid peccatum sit, una eademque lege omnes comprehendit. Libertorum demum erga patronos pietatem certorum officiorum finibus includit, ut singulis mensibus ter ad patroni aedes commeent operamque suam, si quid jubeat, pollicitentur, neque matrimonia sine ipsius voluntate ineant, opes denique ne majores quam ille domi habeant, quaeque ulterius acquirant illi concedant [63]; quorum partem saltem Athenarum quoque institutis respondere videri hisque illustrandis inservire in superiore jam disputatione significavi. Servorum quoque

Patr. Enc. c. 7: *κακώσεως μὲν γὰρ γονέων εἰσὶ νόμοι παρὰ ταῖς πόλεσι, κοινὴν δὲ προςήκει πάντων μητέρα τὴν πατρίδα νομίζειν καὶ χαριστήρια τροφῶν ἀποδιδόναι*, et quae praeterea attulit Jan. Pan p. 29 et 124 sqq.

61) Herald. Obss. ad J. Att. et Rom. VII, 23, p. 587: *κάκωσις γονέων dicebatur injuria parentibus a liberis facta, non tamen quaelibet, sed atrocior aut inhumanior, veluti si quis iis manus impias intulisset aut alimenta negasset;* cf. legum reliquias apud Petitum II, 4. 14, p. 163 sqq.

62) Legg. IV, p. 717 B; XI, p. 932 A.

63) Ibid. XI, p. 915 A; cf. sup. disp. p. 64 et Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. §. 114 extr.

de jure et conditione quid Platoni cum legibus patriis conveniat discrepetve, ibidem passim attigi, neque nunc habeo quod addam, nisi quae ad universam illorum hominum tractationem pertinent, quorum tamen pleraque ut apud reliquos Graecos ita etiam apud Platonem prudentiae dominorum relinquuntur et consiliis magis quam legibus reguntur. Quid enim dominis in mancipia liceret, ex ipsa utrorumque conditione et fortuna sequebatur neque magis sanciri opus erat quam quomodo quis reliqua re familiari uteretur; ea tantum quae rei publicae interesset domino non licere, legibus indigebant, quibus singulorum hominum arbitria coërcerentur; qua in causa jam superius vidimus Platonis severitatem cum Atheniensium humanitate in nonnullis convenire [64], si quidem utriusque intererat videre, ne quis in servis tractandis superbiae et temeritati assuesceret et jus fasque sequi quamvis vili in capite dedisceret [65]. Nimiam tantum illam lenitatem atque indulgentiam reprehendit, qua Athenienses, ut

64) Quo in genere etiam illud imprimis censendum est, quod ne servum quidem nisi publice cognita causa capitale supplicium pati voluerunt; cf. Antipho de Herod. caede §. 48 et Plat. Legg. IX, p. 872 B: *ἐὰν δὲ δοῦλος ἐλεύθερον ἑκὼν . . ἀποκτείνῃ καὶ ὄφλῃ τὴν δίκην κ. τ. λ.* De Athenarum humanitate in servos cf. omnino Lehrbuch cit. §. 114, n. 6 sqq.

65) Ratio fere eadem apud Lycurgum adv. Leocr. §. 66: *οὐ γὰρ πρὸς τὸ ἴδιον ἕκαστος αὐτῶν ἀπέβλεπε τοῦ γεγενημένου πράγματος οὐδ' ἐντεῦθεν τὸ μέγεθος τῶν ἁμαρτημάτων ἐλάμβανον, ἀλλ' αὐτὸ ἐσκόπουν τοῦτο, εἰ πέφυκε τὸ ἀδίκημα τοῦτο ἐπὶ πλεῖον ἐλθὸν μέγα βλάπτειν τοὺς ἀνθρώπους*, et apud Platonem Legg. VI, p. 777 D: *διάδηλος γὰρ ὁ φύσει καὶ μὴ πλαστῶς σέβων τὴν δίκην, μισῶν δὲ ὄντως τὸ ἄδικον ἐν οἷς αὐτῷ ῥᾴδιον ἀδικεῖν· ὁ περὶ τὰ τῶν δούλων οὖν ἤθη καὶ πράξεις γιγνόμενός τις ἀμίαντος τοῦ τε ἀνοσίου πέρι καὶ ἀδίκου σπείρειν εἰς ἀρετῆς ἔκφυσιν ἱκανώτατος ἂν εἴη.*

videtur, haud raro servis tanquam liberis familiariter utebantur neque quidquam amplius discriminis inter utrosque apparebat [66]; quod ut evitetur, non modo severe, dum jure fiat, castigandos, verum etiam omnino imperiose potius quam blande et comiter appellandos censet [67]; idem tamen a Lacedaemoniorum crudelitate tantum abest, ut et contumeliis servorum abstineri jubeat, et minus etiam, si fieri possit, in illos quam in eos, qui aequo jure sint, injuriose agi velit [68], neque minus acriter eos increpat, qui verberibus stimulisque servorum ingenia etiam viliora reddant [69], quod Lacedaemonios fecisse inter omnes constat [70]. Omnium autem maxime memorabilis illa cautio est, quam Aristoteles quoque et publice et privatim insigniter commendat, ne popularium nimius inter servos numerus sit eodemve

66) **Ibidem p. 777 E:** *κολάζειν γε μὴν ἐν δίκῃ δούλους δεῖ καὶ μὴ νουθετοῦντας ὡς ἐλευθέρους θρύπτεσθαι ποιεῖν· τὴν δὲ οἰκέτου πρόςρησιν χρὴ σχεδὸν ἐπίταξιν πᾶσαν γίγνεσθαι, μὴ προςπαίζοντας μηδαμῇ μηδαμῶς οἰκέταις, μήτ' οὖν θηλείαις μήτε ἄῤῥεσιν, ἃ δὴ πρὸς δούλους φιλοῦσι πολλοὶ σφόδρα ἀνοήτως κ. τ. λ.* **Cf. Republ. VIII, p. 563 B:** *τὸ δέ γε ἔσχατον τῆς ἐλευθερίας τοῦ πλήθους, ὅσον γίγνεται ἐν τῇ τοιαύτῃ πόλει, ὅταν δὴ οἱ ἐωνημένοι καὶ αἱ ἐωνημέναι μηδὲν ἧττον ἐλεύθεροι ὦσι τῶν πριαμένων,* **et Xenoph. Rep. Ath. I, 10.**

67) **Mirum est Aristotelem hoc reprehendere in Politic. I, 5, 11:** *διὸ λέγουσιν οὐ καλῶς οἱ λόγου τοὺς δούλους ἀποστεροῦντες καὶ φάσκοντες ἐπιτάξει χρῆσθαι μόνον· νουθετητέον γὰρ μᾶλλον τοὺς δούλους ἢ τοὺς παῖδας.*

68) **Legg. VI, p. 777 D:** *ἡ δὲ τροφὴ τῶν τοιούτων μήτε τινὰ ὕβριν ὑβρίζειν εἰς τοὺς οἰκέτας, ἧττον δέ, εἰ δυνατόν, ἀδικεῖν ἢ τοὺς ἐξ ἴσου.*

69) **Ibidem p. 777 A:** *οἱ μὲν πιστεύουσί τε οὐδὲν γένει οἰκετῶν, κατὰ δὲ θηρίων φύσιν κέντροις καὶ μάστιξιν οὐ τρὶς μόνον ἀλλὰ πολλάκις ἀπεργάζονται δούλας τὰς ψυχὰς τῶν οἰκετῶν.*

70) **Myro apud Athen. XIV. 74, p. 657 D:** *τοῖς δ' εἵλωσι πᾶν ὑβριστικὸν ἔργον ἐπιτάττουσι πρὸς πᾶσαν ἄγον ἀτιμίαν . . πληγάς τε τεταγμένας λαμβάνειν κατ' ἐνιαυτὸν ἀδικήματος χωρίς, ἵνα μήποτε δουλεύειν ἀπομάθωσι.*

sermonis genere utantur, quos quis servitutem facile tolerare velit [71]; unde apparet longe diversam ab Helotarum vel Aphamiotarum, qui apud Cretenses fuerunt, fortuna servorum conditionem apud Platonem cogitari; quos etsi pariter atque illos agros colere pensionesque ferre jubet, unde vitam domini sustentent [72], universum tamen illorum statum, nisi peculiares rei publicae suae rationes aliter fieri juberent, ad reliquae potius Graeciae ipsarumque Athenarumque exemplum informasse videtur.

Neque in iis, quae ad reliquam rem familiarem regendam et successionem in bona defunctorum pertinent, Platonem Spartanorum instituta caeca imitatione secutum esse, sed quae illis detrimento fuisse usu expertus videret, sapienti temperamento immutasse, in superiore disputatione identidem monuimus; quo in genere illud primum nos advertit, quod quum Lycurgus fundos tantum aequabiliter distribuisse, reliquarum opum aequalitatem desperasse tradatur [73], noster, etsi paribus omnes finibus includi non posse intelligeret, tamen non modo

---

71) Aristot. Oeconom. I, 5: *μὴ κτᾶσθαι ὁμοεθνεῖς πολλοὺς ὥςπερ καὶ ἐν ταῖς πόλεσιν*: cf. Legg. VI, p. 777 C: *ἔργῳ γὰρ πολλάκις ἐπιδέδεικται περὶ τὰς Μεσσηνίων συχνὰς εἰωθυίας ἀποστάσεις γίγνεσθαι καὶ περί γε τὰς τῶν ἐκ μιᾶς φωνῆς πολλοὺς οἰκέτας κτωμένων πόλεις, ὅσα κακὰ ξυμβαίνει . . . δύο δὴ λείπεσθον μόνω μηχανά, μήτε πατριώτας ἀλλήλων εἶναι τοὺς μέλλοντας ῥᾷον δουλεύσειν ἀσυμφώνους τε εἰς δύναμιν ὅτι μάλιστα, τρέφειν δ' αὐτοὺς ὀρθῶς κ. τ. λ.* De vocabulo *πατριῶται* cf. Wachsmuth's Hell. Alterth. T. I, P. 1, p. 172.

72) Legg. VII, p. 806 E: *γεωργίαι δὲ ἐκδεδομέναι δούλοις ἀπαρχὴν τῶν ἐκ τῆς γῆς ἀποτελοῦσιν ἱκανὴν ἀνθρώποις ζῶσι κοσμίως.*

73) Plut. V. Lycurg. c. 9: *ἐπιχειρήσας δὲ καὶ τὰ ἔπιπλα διαιρεῖν, ὅπως παντάπασιν ἐξέλοι τὸ ἄνισον καὶ ἀνώμαλον, ἐπεὶ χαλεπῶς ἑώρα προςδεχομένους κ. τ. λ.*

Solonem secutus ipsa illa inaequalitate per classes descripta ad libramentum quoddam in re publica efficiendum prudenter usus est[74]), verum etiam opulentissimis eum modum imposuit, ne quis ultra quadruplum ejus fundi domi haberet, quem pariter omnibus ab initio pro patrimonio attribuit, eaque de causa etiam has opes, quae apud reliquos Graecos inter ἀφανῆ οὐσίαν referebantur, publicis tabulis perscriptas proponi jussit[75]). Ipsa autem patrimonia etsi pariter ut Lacedaemonii dividi alienarive vetuit[76]), tamen longe aliis artibus ac majore quam illi diligentia tuetur; quae quum illi satis se tuta praestitisse existimarent, ubi singularum familiarum incolumitati et perpetuitati quibus possent modis prospexissent[77]), Plato universae civitatis quasi communia haberi vult[78]) summisque magistratibus eorum curam injungit, neque quidquam antiquius existimari jubet, quam ut numerus integer, qualis ab initio fuerit, sibi constet; quem in finem nec generationes, si opus sit, inhiberi[79]), nec colonos emitti, nec peregrinos, si indigenarum numerus deficiat, in civitatem recipi

74) Legg. V, p. 744 B; cf. sup. disput. p. 36.

75) Legg. V, p. 745 A: ἡ δὲ κτῆσις χωρὶς τοῦ κλήρου πάντων πᾶσα ἐν τῷ φανερῷ γεγράφθω παρὰ φύλαξιν ἄρχουσιν, οἷς ἂν ὁ νόμος προστάξῃ κ. τ. λ. De οὐσίᾳ φανερᾷ et ἀφανεῖ egi in Lehrbuch cit. §. 162, n. 14.

76) Cf. sup. disput. n. 92.

77) Cf. disp. de causis turbatae apud Lacedaemonios agrorum aequalitatis p. 39 sqq.

78) Legg. V, p. 740 A: νεμέσθων οὖν τοιᾷδε διανοίᾳ πως, ὡς ἄρα δεῖ τὸν λαχόντα τὴν λῆξιν ταύτην νομίζειν μὲν κοινὴν αὐτὴν τῆς πόλεως ξυμπάσης κ. τ. λ.; cf. et IX, p. 877 D.

79) Ibidem p. 740 D: ἐπισχέσεις γενέσεως οἷς ἂν εὔρους ᾖ γένεσις: cf. P. Petiti Miscellanea III. 16, p. 185.

recusat, Lacedaemoniorum vero artificia, qui et mulieres ex alienis concipere, et spurios vernasque pro civibus educari, et plures germanos una uxore uti permittebant, adeo non adsciscit, ut appareat eum non tam de familiarum quam de ipso civium numero propagando et servando laborare. Atque illud quidem, quod ex pluribus filiis unum tantum heredem a patre scribi jubet, quantum non minus a Lacedaemoniorum quam reliquorum Graecorum moribus recedat, satis in superiore disputatione illustravimus [80]; quae autem ad ipsam generum perpetuitatem in successione conservandam spectant, non propius ad Lacedaemoniorum quam ad communia Graecorum instituta conveniunt adeoque multo magis Attici juris diligentiam referunt, neque irritam esse arbitror quam illic spem proposui, fore ut hac quoque in parte Solonis leges non sine fructu cum Platonicis comparentur. Testamenti certe factionem, quam Spartae ante Epitadeum nullam fuisse dixi [81], iisdem legibus concedit, quibus in jure Attico fieri videmus [82]: ut qui mascula progenie careat, quemcunque

80) Cf. disput. sup. p. 25 sq Illud tantum, ne quid praetermisisse videar, nunc addo, hanc legem ad solum fundum pertinere, in quo ipsum patrimonium positum sit; reliquam rem familiarem ita tantum heredi scripto cedere, ubi vel nullos fratres habeat, quibus eam pater moriens distribuere possit, vel hi ipsi proprios sibi fundos nacti sint; cf. Legg. XI, p. 923 D: ὅτῳ δ' ἂν τῶν υἱέων ὑπάρχων οἶκος ᾖ, μὴ νέμειν τούτῳ τῶν χρημάτων, θυγατρί τε ὡσαύτως ἣ μὲν ἂν ἐγγεγυημένος ὡς ἀνὴρ ἐσόμενος ᾖ, μὴ νέμειν, ᾗ δ' ἂν μὴ, νέμειν· ἐὰν δέ τῳ τῶν υἱέων ἢ καὶ τῶν θυγατέρων φανῇ κλῆρος ἐπιχώριος τῆς διαθήκης γενόμενος ὕστερον, τῷ κληρονόμῳ τοῦ τὴν διαθήκην διαθεμένου καταλειπέτω scil. τὰ χρήματα·

81) Cf. disput. sup. n. 87 et Müller's Dorier T. II, p. 194.

82) Isaeus de Pyrrhi hereditate §. 68: ὁ γὰρ νόμος διαῤῥήδην λέγει ἐξεῖναι διαθέσθαι ὅπως

velit filium simul atque heredem scribat, filiam tamen si relinquat, eundem illam uxorem ducere jubeat; neque illud praetermittit, quod prudenter a Solone cautum erat, ut ei quoque, qui impuberes filios relinqueret, testamentum condere liceret ita, ut si illi ante virilem aetatem decessissent, alium illis heredem substitueret [83]; legata tantum, de quibus apud Atticos nihil legum exstat, decima adventiciae rei parte circumscribit, sed ut in his quoque jus patrium supplere potius quam relinquere videatur [84]. Intestatorum autem hereditates quod attinet, illud quidem, quod apud Athenienses satis solemne

---

ἂν ἐθέλῃ τις τὰ ἑαυτοῦ, ἐὰν μὴ παῖδας γνησίους καταλίπῃ ἄῤῥενας, ἂν δὲ θηλείας καταλίπῃ, σὺν ταύταις: cf. Bunsen de jure hered. Athen. p. 55 sqq. et Gans Erbrecht T. I, p. 384 sqq.

83) Legg. XI, p. 923 E: *ἐὰν δὲ υἱός τῳ τελευτήσῃ παῖς ὤν, πρὶν εἰς ἄνδρας δυνατὸς εἶναι τελεῖν, εἴτε γεννητὸς ὢν εἴτε ποιητὸς, γραφέτω καὶ περὶ τῆς τοιαύτης τύχης ὁ τὴν διαθήκην γράφων, τίνα χρὴ παῖδα αὐτῷ δεύτερον ἐπὶ τύχαις ἀμείνοσι γίγνεσθαι:* ubi quod adoptaticio quoque secundum heredem in eventum fatalem substitui permittit, et ipsum Soloni tribuere non dubito; reliqua ipsius legis verbis leguntur apud Demosthenem adv. Stephan. p. 1136, 16: *ὅ τι ἂν γνησίων ὄντων υἱῶν ὁ πατὴρ διάθηται, ἐὰν ἀποθάνωσιν οἱ υἱεῖς, πρὶν ἐπὶ διετὲς ἡβᾷν, τὴν τοῦ πατρὸς διαθήκην κυρίαν εἶναι,* confirmanturque exemplo apud Isaeum de Cleonymi her. §. 4: *ἔτι δὲ Πολυάρχου τοῦ πατρὸς Κλεωνύμου, πάππου δ' ἡμετέρου, προστάξαντος, εἴ τι πάθοι Κλεώνυμος ἄπαις, ἡμῖν δοῦναι τὰ αὐτοῦ.*

84) Legg. XI, p. 924 A: *ἐὰν δέ τις ἄπαις ὢν τοπαράπαν διαθήκην γράφῃ, τὸ τῆς ἐπικτήτου δεκατημόριον ἐξελόμενος, ἐὰν ἐθέλῃ τῳ δωρεῖσθαι, δωρείσθω, τὰ δὲ ἄλλα παραδιδοὺς πάντα τῷ ποιηθέντι ἄμεμπτος ἵλεων υἱὸν αὐτὸν ποιείσθω σὺν νόμῳ:* qua in lege rationis quoque humanitas animadvertenda est, ne ejus qui lege potius quam natura filius factus sit, nimis hereditate circumcisa, gratus animus pietasque adversus testatorem minuatur. Ceterum prudenter Bunsenius l. l. p. 60 monuit Athenis quoque legibus cautum fuisse videri, ne quaedam filiis detraherentur; certe pecuniam tantum in omnibus locis, ubi legatorum mentio fiat, memorari, et fundos, quibus proprie patrimonium cerneretur, haud dubie filiis nulla donatione patrem subtrahere potuisse; cf. et Gans l. l. p. 390.

fuisse videtur, ut ei, qui liberos ex se non reliquisset, propinquorum decreto heres constitueretur [85], Plato in iis tantum sanxit, qui aut exsilio in perpetuum mulctati essent eoque facto quasi civiliter mortui haberentur [86] aut adeo capitale supplicium subiissent, ubi multo majore cura opus esse videbatur, ut prioris domini scelera successoris virtute compensarentur domusque veterem integritatis laudem recuperaret [87]; in reliquis tamen manifesto communes succedendi leges ante oculos habuit, eaque in causa gratissimum nobis fecit, quod graduum ordinem in succedendo atque *ἀγχιστείας* fines, de quibus non inter nostrae aetatis modo eruditos, verum etiam in ipso foro Attico acerrime disputatum esse novimus [88], aliquanto diligentius enarravit, quam in Solonis legibus factum esse videmus. Nam quum notissima juris Attici formula agnationis jura *ἀνεψιῶν παίδων* gradu circumscribantur, quo vocabulo tam sobrinos quam consobrinorum filios signi-

85) Cf. Platner's Beiträge zur Kenntniss des attischen Rechts p. 139 et Gans Erbrecht T. I, p. 318.

86) Legg. IX, p. 877 D; cf. disput. sup. n. 263.

87) Legg. IX, p. 878 A: *τοὺς οἰκείους ἅμα νομοφύλαξι σκέψασθαι γένος ὅ τι περ ἂν ᾖ τῶν ἐν τῇ πόλει εὐδοκιμώτατον πρὸς ἀρετὴν καὶ ἅμα εὐτυχές, ἐν ᾧ ἂν παῖδες γεγονότες ὦσι πλείους, ὅθεν ἕνα τῷ τοῦ τελευτήσαντος πατρὶ καὶ τοῖς ἄνω τοῦ γένους υἱὸν ὡς ἐκείνων εἰςποιοῦντας, φήμης ἕνεκα ἐπονομάζοντας, γεννήτορά τε αὐτοῖς καὶ ἑστιοῦχον καὶ θεραπευτὴν ὁσίων τε καὶ ἱερῶν ἐπ' ἀμείνοσι τύχαις γίγνεσθαι τοῦ πατρὸς, τούτῳ τῷ τρόπῳ ἐπευξαμένους αὐτὸν κληρονόμον καταστῆσαι κατὰ νόμον*: quo in loco etiam illud ab Attico usu recedit, quod non necessario *ἐκ τῶν κατὰ γένος ἐγγυτάτω υἱὸς εἰςποιεῖται τῷ τετελευτηκότι*, cf. Lehrbuch cit. §. 120, n. 6. Ceterum similis causa est eorum fundorum, quorum domini cum omni progenie extorres abiguntur, Legg. IX, p. 856 D.

88) Cf. Lehrbuch cit. §. 121, n. 3, inque primis Isaeum de Hagniae hereditate cum Demosthene adversus Macartatum, quae causa tota in hac controversia versatur.

ficari posse constat [89]), Plato, licet aliis in locis eadem formula utatur [90]), nunc tamen haud scio an experimentis doctus, quantis illa controversiis locum daret, ambiguitatem ita evitavit, ut *πάππου παίδων υἱδοῦς* diceret; quos consobrinorum filios esse nemo negabit [91]). Atque his imprimis illud praecipuum tribuit, ut filiam patre orbam una cum hereditate jure sibi vindicent, inter reliquos ipsi mulieri con-

---

89) V. quae contra Bunsenium p. 33 prudenter monuit Platnerus in Heidelb. Jahrbb. 1814, n. 74, p. 1179 sqq. eumque secuti Gans l. l. p. 357 sq. et Schömannus ad Isaeum p. 455 sq.

90) Legg. VI, p. 766 C: *καὶ ἐὰν ὀρφανῶν ἐπίτροπος τελευτήσῃ τις, οἱ προσήκοντες καὶ ἐπιδημοῦντες πρὸς πατρὸς καὶ μητρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων ἄλλον καθιστάντων ἐντὸς δέκα ἡμερῶν:* IX, p. 877 D: *τοὺς συγγενεῖς συνελθόντας μέχρι ἀνεψιῶν παίδων τοῦ πεφευγότος, ἀμφοτέρωθεν πρός τε ἀνδρῶν καὶ πρὸς γυναικῶν, κληρονόμον εἰς τὸν οἶκον τοῦτον καταστῆσαι:* p. 878 D: *ἐὰν δὲ ὁμόγονος ὁμόγονον τρώσῃ, τοὺς γεννητάς* (sic scribendum, ut sint *parentes*, non ut vulgo *γεννήτας*, *gentiles*) *καὶ τοὺς συγγενεῖς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων πρὸς γυναικῶν καὶ ἀνδρῶν γυναῖκάς τε καὶ ἄνδρας συνελθόντας κρίνοντας παραδιδόναι τιμᾶν τοῖς γεννήσασι κατὰ φύσιν:* unde vide ne etiam XI, p. 929 B scribendum sit: *πρῶτον δὲ συλλεξάτω τοὺς αὐτοῦ ξυγγενεῖς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων καὶ τοὺς τοῦ υἱοῦ ὡσαύτως τοὺς πρὸς μητρός, κατηγορείτω δὲ ἐν τούτοις.* Eandem vim habent *οἱ ἐντὸς ἀνεψιότητος* IX, p. 871 B, cf. sup. disp. n. 197.

91) Legg. XI, p. 925 A: *ἐὰν δὲ τοῖς οἰκείοις ἀπορία συγγενῶν ᾖ, μέχρι μὲν ἀδελφοῦ υἱιδῶν, μέχρι δὲ πάππου παίδων ὡσαύτως, τῶν ἄλλων ὅντιν' ἂν ἡ παῖς μετ' ἐπιτρόπων αἱρῆται τῶν πολιτῶν ἑκούσιον ἑκουσία, κληρονόμος γιγνέσθω τοῦ τελευτήσαντος καὶ τῆς θυγατρὸς νυμφίος.* Astius p. 524 non repetit *υἱιδῶν* ad *πάππου παίδων*, sed ita explicat: *et descendendo usque ad fratris nepotes et ascendendo ad avi filios;* verum hoc inde refutari potest, quod paulo superius Plato inter eos, quos orbam jure suo ducere jubet, non modo *πατρὸς ἀδελφόν*, qui *πάππου παῖς* est, sed etiam hujus sororisque filios nominat, quos Astii ratio excluderet. Poterat etiam dicere *μέχρι δὲ πατρὸς ἀδελφοῦ ἢ ἀδελφῆς υἱιδῶν*, maluit tamen utrumque genus *παίδων* nomine complecti eoque facto *υἱιδῶν* omisit, quod ex antecedentibus repetendum esse vel inde patebat, quia *παίδων* nomine uterque sexus continetur. Astio, ni fallor, Bunsenii auctoritas fraudi fuit, apud quem consobrini patruis, hoc est ipsorum parentibus antecedunt, ita ut in collateralibus per filios demum ad patres adscendatur; verum hoc et ipso Platonis loco p. 924 E et 925 D refellitur, et satis alioquin a Platnero refutatum est.

cedit ut quem sibi velit ipsius et tutorum suorum consensu maritum eligat; quorum etsi posterius, quod in arbitrio posuit, ab Atticis institutis longissime discedat, in iis certe, quae ad jus et officium spectant, patrium usum retinuisse videtur [92], neque illud Athenas transferre dubito, quod eos qui hac ex lege in matrimonium petant petanturve, juvenes pariter ac puellas, ubi de convenientia aetatis ad nuptias disceptatio oriatur, nudos in judicio inspici jubet [93]; haec enim procul dubio erat illa adolescentium exploratio, qua Philocleo apud Aristophanem gloriatur [94], cujusque haud raro necessitas exsistere poterat, verbi causa si quis quamvis remotior agnatus orbam cum hereditate ita sibi vindicabat, ut propiorem nuptiis ineundis nondum maturum esse diceret. Muliebris autem sexus apud Platonem longe meliorem quam Athenis conditionem esse secundum ea, quae superius disputavimus, mirum accidere nequit; quem ut illic monuimus matri

92) Cf. Petiti legg. VI, 1. 9; Bunsen p. 44–49; Platner's Process u. Klagen T. II, p. 252 sqq. Illud tantum, quod apud Athenienses licebat (cf. Demosthen. adv. Macart. p. 1067), ut qui mulierem ducere nollet, eam suis impensis dotatam alii collocaret, apud Platonem, qui omnes dotes tollit, obtinere non potest.

93) Legg. XI, p. 925 A: *τὴν δὲ τοῦ τῶν γάμων χρόνου συμμετρίαν τε καὶ ἀμετρίαν ὁ δικαστὴς σκοπῶν κρινέτω, γυμνοὺς μὲν τοὺς ἄῤῥενας, γυμνὰς δὲ ὀμφαλοῦ μέχρι θεώμενος τὰς θηλείας.*

94) Vesp. v. 598: *παίδων τοίνυν δοκιμαζομένων αἰδοῖα πάρεστι θεᾶσθαι.* Boeckhius quidem in Ind. lectt. Berol. aest. 1819, p. 4 hunc morem refert ad professionem pubertatis apud curiales et gentiles, Meierus de gentil. Att. p. 17 ad examen gymnasticorum certaminum causa institutum, quorum tamen neutrum apud judices Heliastas factum esse constat; Platonem contra patrium usum sequi vel inde patet, quod sui ipsius immemor hanc spectationem instituit; nam qui omnino tricenarii demum matrimonia inire deberent, eorum profecto pubertatem spectari amplius opus non erat.

maternisque cognatis aeque ac paternis despondendarum virginum jus tribuere, ita in eo quoque a patriis institutis discedere videmus, ut primum quidem fratrem uterinum, modo proprio patrimonio careat, proxime post germanum ad successionem in bona defuncti vocet [95], deinde vero ejus, qui omnino nullos liberos reliquerit, hereditatem feminini generis aeque ac masculini propinquos accipere jubeat ita, ut ex utroque sexu qui genere proximi sint, nisi ipsi repugnent magistratusque et judices secundum ipsos decernant [96], matrimonio jungantur domumque defuncti pro sanguinis conjunctione propagent [97]; quo facto apparet eodem modo, quo ex communi jure agnati ipsa successione quasi filiorum in locum subeunt, apud Platonem mulieres quoque cognatas ἐπικλήρων personas sustinere. Haec igitur ab Attico jure aliena instituit; illud tamen nec ipse facere poterat, ut cognatis, qui materno genere cum defuncto juncti essent, simul cum agnatis hereditatem daret, praesertim quum dividi in partes patrimonia nollet, sed in hoc certe Solonis exemplum secutus feminini generis prosapiem post masculos demum, qui quidem ejusdem

95) Legg. XI, p. 924 E: *τοῦ ἀποθανόντος ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ ἢ ἄκληρος ὁμομήτριος ἐχέτω τὴν θυγατέρα καὶ τὸν κλῆρον τοῦ τελευτήσαντος.* Athenis contra lex erat: *ἐὰν μὲν ἀδελφοὶ ὦσιν ὁμοπάτορες καὶ ἐὰν παῖδες ἐξ ἀδελφῶν γνήσιοι, τὴν τοῦ πατρὸς μοῖραν λαγχάνειν . . . ἐὰν δὲ μὴ ὦσι πρὸς πατρὸς μέχρι ἀνεψιῶν παίδων, τοὺς πρὸς μητρὸς τοῦ ἀνδρὸς κατὰ ταὐτὰ κυρίους εἶναι* (Demosth. adv. Macart. p. 1067).

96) Legg. XI, p. 926 C.

97) Ibid. p. 925 C: *θήλεια δὲ καὶ ἄῤῥην οἷον ξύννομοι ἴτωσαν ἐκ τοῦ γένους εἰς τὸν ἐξηρημωμένον ἑκάστοτε οἶκον, ὧν ὁ κλῆρος γιγνέσθω κυρίως κ. τ. λ.*

stirpis essent, succedere jussit [98]) ejusque juris hunc ordinem descripsit, ut primo loco fratrem defuncti, secundo hujus filium, tertio filium sororis, quarto patris fratrem, quinto hujus filium, sexto sororis patris sive amitae filium ad hereditatem vocaret [99]). Quem ne quis ad orbas tantum ducendas referat, animadvertendum est, et Platonem inferius, ubi ad *ἄπαιδας* transeat, apertis verbis lectores illuc remittere [100]), et Attico quoque jure prorsus eundem succedendi ordinem constitui, sive quis filias tantum, sive nullos omnino liberos reliquerit, nisi quod filias heres ducere teneatur [101]); neque omnino dubitari potest, quin hac certe in causa Platoni cum jure patrio conveniat; nam quod Jonesio primum, deinde imprimis Gansio visum est, patruos Athenis, licet orbas sibi vindicare potuissent, hereditate tamen

98) Ibid. p. 925 A: *ἔμπροσθεν μὲν τῶν ἀῤῥένων, ὕστερον δὲ θηλειῶν ἑνὶ γένει.* Athenis haec lex erat: *κρατεῖν δὲ τοὺς ἄῤῥενας καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἀῤῥένων, ἐὰν ἐκ τῶν αὐτῶν ὦσι, καὶ ἐὰν γένει ἀπωτέρω*, unde apparet male Astium apud Platonem legendum conjecisse *ἐν ἑνὶ γένει*, quo facto v. c. sororis filius fratris nepotem antecederet; *γένος* enim *gradum propinquitatis* significare docet Schömannus ad Isaeum p. 277, quo sensu Plato omnino recte dixit *ἑνὶ γένει ὕστερον*, quia masculinae stirpis nepos, quamvis uno gradu remotior, femineae filium excludit.

99) Ibidem p. 924 E.

100) Ibidem p. 925 C: *ἄπαις δὲ ἀῤῥένων τε καὶ θηλειῶν τοπαράπαν ὅς ἂν μὴ διαθέμενος τελευτᾷ, τὰ μὲν ἄλλα περὶ τοῦ τοιούτου κατὰ τὸν ἔμπροσθεν ἐχέτω νόμον.* Solemnis formula in legibus *τὰ μὲν ἄλλα κ. τ. λ.*, cf. Gorg. p. 451 C et Boeckh. ad C. Inscr. T. I, p. 124.

101) Cf. legem Atticam apud Demosth. l. l.: *ὅςτις ἂν μὴ διαθέμενος ἀποθάνῃ, ἐὰν μὲν παῖδας καταλίπῃ θηλείας, σὺν ταύτῃσι, ἐὰν δὲ μή, τούςδε κυρίους εἶναι τῶν χρημάτων*: unde recte Gansius p. 339: *Diesen (ἐπικλήροις) liegt durchaus nicht der Begriff zu Grunde, dass sie in Ermangelung von Descendenten selbst als Erbende auftreten, sondern dass sie mit dem Vermögen von den Collateralen ererbt werden.* Platonem hac quoque in re jus Atticum expressisse agnoscit et Schömannus ad Isaeum p. 438.

exclusos fuisse [102], quum rationi legis repugnat, tum claris veterum locis refutatur [103]. Difficilior illa quaestio est, quid sit quod Plato et hic et inferius in mulierum successione describenda sex tantum gradus distinguat, unde eorum opinioni argumentum accedere videatur, qui Athenis quoque universum jus succedendi ἀγχιστείας finibus, de quibus superius egimus, circumscripserunt [104], praesertim quum ipse Plato extra hos fines orbis liberum mariti eligendi arbitrium permittat; accuratius tamen re perpensa intelligemus nec Platonis nec juris Attici mentem eam esse, quam antiquitus quoque, ut videtur, unus alterve causidicus sibi invenire visus est [105], ut qui ἔξω ἀγχιστείας

---

102) Cf. Jones Works T. IX, p. 324 sq. et Gans Erbrecht T. I, p. 377 sq., qui adeo parum sibi hac in re constitit, ut quum superius negasset patrimonium ab orba divelli posse, jam patruum conjiciat neptem ex fratre ἐπίκληρον sine hereditate duxisse! Quanquam hoc argumento contra ipsius sententiam de patruis non utar, si quidem in eo quoque erravit, quod exempla de ἐπικλήροις ducendis omnino ad patrui gradum retulit; recte enim Astius ad Legg. p. 524 animadvertit hac in causa non filiae sed patris mortui rationem in definiendis gradibus haberi, quapropter is, qui neptem suam orbam in matrimonium petit, non tanquam ejus patruus, sed tanquam defuncti frater hereditatem cernit!

103) Insignissimus locus est apud Isaeum de Cleonymi her. §. 45, ubi Cleonymi ex sorore nepotes in ejus hereditate petenda hoc potissimum argumento utuntur, quod si ipsi ante illum mortui essent, ille vicissim propter cognationis propinquitatem ipsorum in bona successurus fuerit; quo nihil apertius contra Gansium inveniri potest. Alius tamen praeterea apud eundem exstat, unde etiam defuncti patruos, si propiores heredes deessent, filiam ipsius sibi in matrimonium vindicare potuisse prodit: οἱ τοῦ Πύῤῥου θεῖοι, εἰ ᾔδεσαν γνησίαν θυγατέρα τῷ ἑαυτῶν ἀδελφιδῷ καταλειπομένην καὶ ἡμῶν μηδένα λαμβάνειν ἐθέλοντα αὐτήν, οὐκ ἄν ποτε ἐπέτρεψαν Ξενοκλέα, τὸν μηδαμόθεν μηδὲν γένει προσήκοντα Πύρρῳ, λαβόντα ἔχειν τὴν κατὰ γένος προσήκουσαν αὐτοῖς γυναῖκα: quam si recte statuimus non nisi cum patrimonio duci licuisse, hinc quoque Gansii error clare apparet.

104) Cf. Bunsen l. l. p. 36, cui tamen recte obloquitur Gansius l. l. p. 350.

105) Cf. Isaeus de Hagniae her. §. 12 et 29, qui mihi ipsi pariter ut olim judicibus

sint, nullo pacto ad hereditatem accedere possint. Quippe et Solonis in lege aperte legimus: ἐὰν δὲ μηδετέρωθεν ᾖ ἐντὸς τούτων, τὸν πρὸς πατρὸς ἐγγυτάτω κύριον εἶναι, et philosophus universe addit: ὡσαύτως δὲ τὸ γένος ἀεὶ πορευέσθω κατ' ἀγχιστείαν, δι' ἀδελφῶν τε καὶ ἀδελφιδῶν ἐπανιόν: quod si quam vim in successione habuit ἀγχιστεία illa, quam superius intelleximus intra consobrinorum filios consistere, Athenis quidem ea erat, ut ad hunc usque gradum agnati cognatos excluderent, remotioribus autem agnatis propiores cognati antecederent, atque ita demum, ubi nec hoc ex genere quisquam exstaret, ad illos hereditas reverteretur106); apud Platonem autem, quem fratres uterinos vel germanorum filiis praeferre vidimus, ἀνεψιότητος vis in iis tantum cernitur, quae ad cognitiones domesticas atque alia familiarum jura (cf. not. 90) pertinent, neque alia de causa sex tantum gradus descripsisse censendus est, nisi quia hos plerisque casibus sufficere arbitra-

---

Atticis fucum fecit in Lehrbuch cit. §. 121, n. 3; nunc demum accuratius re perponderata mihi persuasi oratorem illic egregie cavillari, mirorque Schömannum, qui astutias ejus verborumque lusum in ἀνεψιῶν παίδων nomine acute detexit, tamen et ipsum p. 452 jure vicisse illius clientem Theopompum contendere; nam si legis sententia non ea erat, ut jus succedendi sobrinorum in gradu hoc est sexto sisteretur, sed ad quintum potius pertinebat, aut Theopompus ipse tanquam sobrinus excludebatur, aut idem jus Stratoclis, qui pariter cum ipso sobrinus fuisset, filio competebat; quod enim Isaeus sobrinorum filios hereditate arceri ait, haec ipsa, opinor, cavillatio est.

106) Egregie hoc contra Bunsenium aliosque expedivit Gansius l. l. p. 359 sqq. hisque verbis p. 382 comprehendit: *das Erbrecht der väterlichen Verwandten bricht ab, um den mütterlichen Verwandten Platz zu machen und alsdann wieder zur väterlichen Verwandtschaft zurückzukehren . . . weil aber das attische Erbrecht innerhalb bestimmter Grade abbricht, so muss auch der Vorzug der Agnation durch das höhere Gesetz dieses Abbrechens bedingt seyn.*

retur[107]. Omnino enim multa apud ipsum desiderantur, quae verum legislatorem quam maxime advertere debebant, atque hoc ipso in loco de hereditatibus haudquaquam omnes casus exhausit, qui quum omnino propter vicissitudinum multitudinem prope innumeram impeditissimus est, tum apud ipsum etiam impeditior fit eo, quod neminem unquam duo patrimonia simul possidere voluit; ipsum tamen si audiamus, veri simillimum est eum ad omnes has objectiones responsurum esse, talia se vel successoribus suis vel magistratibus qui futuri sint reliquisse, sibi universam tantum rei publicae formam describendam, non singula cum pulvisculo exhaurienda fuisse: quapropter nos quoque in iis quae ipse exhibuit consistemus, neque sollicite quaeremus, quomodo fieri potuisse videantur ea, quae nunquam in factum transiisse scimus. Unus restat locus de tutoribus impuberum, quem satis accurate philosophus tractavit, sed ut in his quoque patrii juris vestigia premere videatur[108]; nam et parentibus permittit, ut testamento tutores liberis quos velint relinquant, et si quis intestatus decesserit, magistratibus eam curam imponit, ut ex propinquis amicisque mortui constituant, qui liberis ejus tanquam parentum loco sint[109], numero tantum et aliis pro suae civitatis

107) Cf. Klenze in Zeitschrift f. geschichtl. Rechtswissenschaft T. VI, p. 141 sq.

108) Cf. Lehrbuch cit. §. 122, n. 12.

109) Cf. Legg. XI, p. 924 A. B, unde auctoritas accedit Petito LL. AA. VI. 7. 1, p. 491, qui duo tantum tutelae genera Athenis agnoscit, testamentariam et dativam; nam quod Meierus (att. Proc. p. 448), Platnerus (Proc. u. Kl. T. II, p. 278), Klenze (die Cog-

rationibus immutatis; eum autem tutorem, qui male rem gerere videatur, et magistratus punire jubet et unicuique sive propinquo sive alieno concedit ut judicio illum persequatur[110]; ipsi denique pupillo, postquam in suam tutelam venerit, quinquennii spatium proponit, quo res suas a tutore repetat, quorum nihil est quin Attico juri ad unguem conveniat[111]; neque illud alienum, quod mulctae dimidium accusatori pollicetur, si quidem etiam Athenis *φάσιν ὀρφανικοῦ οἴκου* fuisse constat[112]; ac licet magistratuum aeque ac judiciorum apud Athenienses forma a Platonica differat, tamen illic quoque non dubito quin archonti, qui rem pupilli non qua deberet diligentia tuitus esset, tam in *εὐθύναις* diem dici quam in *ἐπιχειροτονίαις* magistratum abrogari licuerit.

---

naten und Affinen l. l. p. 81 et 152) etiam legitimae vestigia invenire sibi visi sunt, ipso Platone duce planissime ita explicabimus, ut magistratus quos darent tutores ex propinquorum numero cepisse statuamus.

110) Legg. XI, p. 928 B; cf. Poll. Onom. VIII, 35: *ἐξῆν γὰρ τῷ βουλομένῳ γράφεσθαι τὸν ἐπίτροπον ὑπὲρ τῶν ἀδικουμένων ὀρφανῶν*, pluraque apud Meierum l. l. p. 293 sqq.

111) Ibidem p. 928 C; cf. Meier l. l. p. 454; Platner's Proc. u. Kl. T. II, p 289; Schmeisser de re tutelari apud Athen. p. 28 sqq.

112) Cf. Lehrbuch cit. §. 136, n. 10 et Boeckh's Staatshaushaltung der Athener T. I, p. 378—380, qui primus eodem modo, quo apud Platonem fit, causas privatas publicasque in re tutelari inter insignes grammaticorum nugas recte diremit, nisi quod *φάσιν* etiam finita tutela institui potuisse censet, quod HefFterus (athen. Gerichtsverf. p. 251—253) nostro non neglecto prudenter, ut mihi videtur, refutavit.

Jam vero transeamus ad id cujus causa ipsa haec proludendi opera suscepta est. Instat enim in d. xx Augusti

SERENISSIMI PRINCIPIS ELECTORALIS, CONSORTIS REGIMINIS HASSIAE, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI,

FRIDERICI GUILIELMI

natalis, pie et cum summa divinae providentiae veneratione celebrandus, cujus diei splendorem vir illustrissimus et clarissimus, magnificus Academiae Prorector,

EDUARDUS PLATNER,
J. U. D. et P. P. O.

oratione in auditorio majori patrio sermone habenda illustrabit. Hujus igitur sacri ceremoniis ut frequentes adesse, oratorem publice constitutum audire, bonaque vota concipienti favere velint *Professores omnium ordinum*, *summe venerabiles*, *illustres et consultissimi*, *experientissimi*, *excellentissimi*, *quotquot praeterea in quocunque honoris ac dignitatis gradu constituti bene Academiae cupiunt et bonis artibus favent*, *cives denique*, *Minervae sacris operantes*, *ornatissimi atque suavissimi*, ea qua par est observantia oro rogoque.

Marburgi pridie Idus Augusti MDCCCXXXVI.